

Badische Landesbibliothek Karlsruhe


Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Leonis septemtrionalis notitia

Rauscher, Johann Martin

[S.I.], 1632

urn:nbn:de:bsz:31-102765



Gym 211

Ex
BIBLIOTHECA
ILLUSTRIS
CAROLI HESYCHEI.
65120

LEONIS SEPTEMTRIONALIS NOTITIA.

[Johann Martin
Bauschert]



Anno Christi: CCCCC XXXII.

G
I F E O N I
C O M P U T U
A R T I C U L A

5 an Gym 211

anno C p m i i c i d i c z z z z z

z ✓

Serenissimo & Potentissimo
Principi,
GUSTAVO
ADOLPHO:
Suecorum , Gothorum ,
Vandalorum Regi,
Magno Finnoniae Principi :
Esthoniae Careliaque Duci :
Ingria Livonia , &c. Domino
Libertatis Germaniae Vindici

FELICI, PIO, VICTORI
Immortalitatem.

BOOST partas inusitata virtute tot lau-
reas triumphales, & impletum nominis
Tui gloria hunc terrarum orbem, REX
VICTORIOSE, videtur nihil deesse
magnitudini Tua amplius, quam ut ad hanc felicita-
tem aeternitas admigret. Partim, ut propria sint, Ger-
mania, quae beneficio Tuo accepit: partim, ut poste-
ritatis memoria ex vero testetur, neminem Princi-
pum dignius Te, publico fama calculo, sustinere titu-
lum

lum Augusti, Pii, Felicis, Triumphatoris. Nisi
quod seculi etiam interest, talem Te orbi notum esse,
qualis es, ut, qui cum discrimine salutis, vita, regni,
sola affl. & religionis miseratione, libertatem, res &
fortunas à servitute vindicasti, omnes magnitudi-
nem beneficij intelligent, & meritum Autoris prono
affectu, submissaq; veneratione admittant. Neque
enim fas est Septentrionis illum Leonem ulterius
ignorari, quem propitium Numen arcano fati de-
creto ante tot seculorum decursus, in praesidium peri-
clitantis Germania destinavit. Quae jam diu inter-
cades, inter Urbium & patrimoniorum direptio-
nes spiritum suum traxerat. Qua sordibus & squa-
lore confecta, inter rapaces Harpyiarum ungues, &
Sycophantarum insidas, nec libertatem diutius tue-
ri poterat, nec servitutem ferre. In qua vivis nec
majorum pietas, nec defunctis terra sua concedebat-
tur: ut jam nec mori integrum esset, nec tutum vi-
vere, cum immissus libertatis jugulo calter, non ibi
tyrannidis finem faceret, ubi vita terminos natura
limitavit. In qua non corpori tantum, sed & anima
vincula injecta erant, quæ diuersum à fove Vatica-
no sentientibus presentem interitum minabantur. In
qua denique, (seculi infamiam!) viles terra filij &
Gygantum fraterculi, quorum nomen heri modo è
plebis

plebis tabula expunctum erat, illustrissimis Imperij
Summatibus fustes & lora intentabant. Et tam de-
plorato statu cum manumissis libertatem, pulsis &
ejectis eruptam patriam, spoliatis patrimonio fortu-
nas, aris templisque profanatis orthodoxum cultum
restitueris; quid mirum, AUGUSTE, si omnium
Germanorum voluntates Tibi liberior adfluunt,
quos ista amoris testificatione Tuos nexu & manci-
pio fecisti universos? Quid mirum Regiae Suecorum
Majestati omnium linguas, omnium calamos vecti-
gales esse, cuius inexpectata felicitas Orbem fortuna-
tum facit? Et vel hoc uno nomine, si catena abessent,
quod in GUSTAVI tempora incidit. Quod pro-
fecto nomen titulos non capit, quia omnes excedit, &
patria vestra lingua Dei baculum designat, quo
libertatis oppressores castigantur. Sarmata Tui,
cum Suecorum Te Regem appellare deditarentur,
Gustavum per contemptum vocabant. Euge belle!
sed prater mentem animi. Nesciverunt illi, hoc ho-
norificum nomen esse, quod in ipsorum tormentum
occulta cœli dispositio Tibi assignaverat.

Caterum cum in Germania prater alias Provin-
cias, benignitatis Tua fontem largiter etiam Suevia
hauserit, patere quofo, REGUM EMINEN-
TISSIME, ut ad MAIESTATIS TUÆ

) (3 genua

genua pro volutus, ejus purpura laciniam prehendam,
cujus aspectum hostes non ferunt. Patere, ut Suevus
ego, Suevorum veterum Regem venerer, qui hanc
unam habeo fortuna injuriam, quod in ipsa Suevia
angustum Suevorum sanguinem, citius videre non
contigerit: quibus vel in vitiis beneficia Tua obtrusi-
sti. De eorum autem vindicanda libertate iam tum
cogitabas, cum adhuc in Prussia Polonorum Aquilas
fatigares. Nondum nobis excidit memoria Satleri
Tui, cuius perspicacibus oculis in salutem nostram
vigilabas: qui dum res Tuas alibi pro commodo Ger-
mania dispensat, adversariorum manibus feliciter
elapsus est. Videbas, qua Tua sagacitas est, AUGU-
STE, Suevis consanguineis Tuis jam lupata, iam
catastas, jam denique miseram parari servitutem.
Igitur ne infeliciter periret ille populus, cuius Tu co-
gnomini Mari dominaris, quique olim in quatuor &
quinquaginta gentes distinctus, solus hodie hoc nomen
servat, auxilium nobis maturasti: & sinu Codano
egressus, Septentrionem Tuum, illam veram Martis
sobolem, illos Aquilonis scopulos ac rupes hosti in-
expectatus obiecisti. Et quisquam nobis temeritatis
labem impingat, si eius Regis virtutes Suevi admire-
mur, cui uni debemus, quod vita & fortunis nondum
exuti, nondum in angustum redacti, nondum Cle-
rico-

ricorum servi sumus ? Si ad illius Imperatoris laudes stylum convertimus , qui cum milite suo universum orbem ad spectaculum provocat , ut agnoscat , Suecos antiquum suum obtainere , & quod Pyrrhus de Æacidarum gente elogium scuto inscripsit . etiamnum VIROS ESSE.

Admitte igitur , MAGNE REX , benigno vultu exile hoc donarium , & ad tot decora actropaea , hanc Leonis Septentrionalis , hoc est , Tui Tuorumque notitiam adiunge . Non ut dignum sublimitate Tua munus , sed certum submississimi obsequij monumentum . Si enim quasi vissem aliquid fastigio hoc dignum , non habebam : si conveniens , maximè istud erat quod sub auspicijs Tuis , Rex literis & armis inclite , in publicum prodiret . Sic recognosces populium Tuorum documenta domestica , & per maiorum imagines cum voluptate inambulabis . Quanquam vix fortassis opera & premium videatur maiores Tuos in scenam producere , cum frustra alibi Tui exemplum extra Te queratur , in cuius divinam mentem omnis avita virtutis supellex cum ipso sanguine migravit . Accipe , inquam , levidense hoc munuscum victrici illa dextera , qua tot gratulantium osculis cottidie lassatur , & ad affectum offerentis oculos illos , in quibus Gratia habitant , converte . Ea est magnorum

rum Regum indoles, ut donantis tenuitatem huma-
nitatis sua opulentia locupletent. Nec MAESTAS
TUA gravabitur ad tot gloria sua monumenta, qua-
tam augusto nomini consecrantur, hanc opellam no-
stram adiungere. Possunt alij magnificentius, facun-
dius; nos certè nihil possumus amantius.

Sic vale & longum vive cœli delicia, orbis amor:
quo superstite nemo infelicitatem metuit. Vive Opti-
me Regum, & feliciter impera. Vive hostium domi-
tor, & tot immortalibus palmis novas subinde lau-
reas adtexe. Ita voveo, vel antiquissimo nobilita
militia sacramento

NUMINI MAIESTA- TIQUE TUÆ

devotissimus

Iohannes Martinus Arctius
Suevus.

Di-

Dispicieni mihi, quæ
 potissimum laurus in hoc
 limine penderet, placuit
 illam à Suecicæ gentis
 origine petere, atque ut Gustaviani
 hujus stemmatis $\omega\zeta\pi\tau\omega\tau\pi\lambda\alpha\gamma\epsilon\varsigma$
 appareret, nonnulla de provincijs &
 regionibus, quibus vasti illius & flo-
 rentissimi Regni Imperium contine-
 tur, prælibare. Sic planius fiet huic
 seculo, quo fonte derivetur tradux
 illa Suecorum virtus, licebitq; nosse
 manifestiū SEPTEMTRIONA-
 LEM, velut ex ungue, LEONEM.
 Sueci igitur progenies sunt Gotho-
 rum veterum, quorum incomparabi-
 lem virtutem historiarum annales
 transmiserunt æternitati: ad quam

A cùm

cum sibi primam gladio stravissent
viam, nulla deinceps temporum ini-
quitate de partæ possessione gloriae
dei jci potuere amplius; sed ipsis eti-
am nobilitati cládibus, illustribus ac-
cessere exemplis, quæ inter alternan-
tes utriusque fortunæ triumphos nu-
merantur. Quorum mascula gene-
rositas sicut in prodigalitatem san-
guinis obstinata, per dāmna & cœ-
des à ferro animos sumpsit, ita in-
posterioris tractu temporum tam longo
non elanguit, sed revixit. Fides
huic meæ assertioni adstruitur pri-
mùm antiquissimi Historiographi
Petri Trecensis, qui in Rudimento
Novitiorum, *Sueciam*, in qua Gothia,
veram Gothorum sedem constituit:
quæ sit maxima inferioris Scythia in Eu-
ropa inter Danicorum & Aquilonarium
Noricorum regna, regio. Cui adstipu-
atur Daniæ Chronographus & Can-
cella-

cellarius Witfeldus, qui Danos à Gothis Sueciæ populis, & hos à Gothis prognatos commemorat, quem auctorem ex manuscripto codice in membrana laudat Janus Minor (fallor si non Joannes Messenius) Sueensis adversus Petrum Rosæfontanum. Nec abit ab illorum sententia Chronicon quoddam rythmis Danicis compositum, & Hafniæ Anno 1495. evulgatum, quod eadem mente Suecos & Danos Gothorum sibolem facit. Unde autem bellcosa gens egressa, arma terroremque latè per orbem circumtulerit, docet nos Iornandes Gothus pag. 4. *Ex Scandia*, inquit: *Insula*, quasi gentium officina, ac velut vagina nationum, cum Rege suo nomine Berich, quondam Goths memorantur egressi, qui ut primum è navibus exeuntes, terras attigere, illi loco nomen dederunt; Hac hodie, ut fertur Go-

A 2 thi-

thiscanzia vocatur. Quam Claudius Ptolemæus velut digito monstrat, dum in Oceani Arctoo salo hanc positam Insulam, & in modum folij cedrini lateribus pandis, post longum ductum se se concludentem, diffusius describit. Quam, ne quis forte de Gotlandia Danica errore aliquo arripiatur, Stephanus Prætorius Ptolemaeum evidentiūs declarat, qui in libro de Regnis & Academijs ita scribit. *Scandia sive Scandinavia, sive Baltia sive Basilia*, ob magnitudinem à non nullis alter orbis terrarum, & officina viginaque gentium denominata, comprehendit tria regna *Norvegiam*, *Sueciam* & *Gothiam*, aliasque multas provincias, ut sunt *Botnia*, *Finmarchia*, *Finlandia*. In hanc sententiam eunt authores clarissimi pariter & omni exceptione majores M. Adamus Bremensis Ecclesiæ Canonicus lib. i. c. 26. Thomas

mas Freigius in Chorographia pag.
575. Cluverius Germ. Antiq. lib. 3.
cap. 38. Chytræus in præfatione
Chronici & Thucydid. scribit. *Nus-*
quam in toto orbe terrarum Gotlandia, &
distinctas regiones, & nomina Ostgothia &
Vestgothia extare scimus, nisi in ditione
amplissimi regni Suecorum. Et Iornandes,
Ablabius, Dion, Procopius, Agathias,
alijque, ex quibus rerum Gothicarum
historia sumitur, in hac Arctoa mundi
parte primam & antiquissimam sedem
Gothorum collocant. Præter Iohan-
nem Magnum Archiepiscopum Upsa-
liensem, & Isaacum Pontanum Da-
nicæ Historiæ conditorem Albertus
Crancius lib. 1. c. 1. *Suecia & Gothia*
res uno contextu commemorandas censuit,
quod sub unius Principis auspicijs, à mul-
tis retro seculis utraq. gens degebatur, unius
regni limitibus inclusa. Et paulò infra
scribit: *Suecia quidem domi & in vi-*

A 3 cinis

tiniis locis nomen prævaluuisse ; Foris autem
 & in longinqua militia , Gothorum glo-
 riam sublimioribus longè titulis inclaruisse.
 Ut jam silentio involvam Gothicas
 Sueciasque leges ultra quingentos
 annos latus , quarum in vestibulo le-
 gitur : *Gothorum nomen non alibi in*
universo terrarum orbe reperiri , quam in
regno Suecia. Unde Inclitus ille ter-
 rarum Septemtrionalium Dominator
G U S T A V U S A D O L F U S ,
 in quem Deus præter amplissimorum
 regnorum sceptra , primas ingenij &
 virtutis laudes ubertim effudit , jure
 merito , more majorum , post Sueco-
 rum , Gothorum etiam Vandalorum-
 que Regis titulum præscribit . Ni-
 mirum hic est bellax ille & ingens
 animi populus , qui omnibus seculis
 fervido in Martem genio , tot gentium
 arma lassavit : cuius mascula & in-
 quies virtus , optimum libertatis au-
 gu-

gurium credebat, nullo loco claudi:
unde tām promptē sedes fortunarum
suarum, quām castra transtulit, quō
animi impetus facile obsequentes ra-
piebat, aut florentior in alieno solo
celpes invitabat. Hæc est illa præ-
clara natio, è qua tot populi nume-
ro suo infiniti, victorijsque celebra-
ti, quodam turbinis æstu, toti olim
Europæ sunt infusi: quorum armis
Italia, Libya, Hispania, Pannonia
cum non exigua Galliæ parte, con-
cussa fuit pariter & afflcta. Hujus
gentis virtutem, Orosio teste, Græ-
corum audacia aggredi extimuit,
Alexander Magnus vitandam enun-
ciavit, Pyrrhus exhorruit, invicta
Cæsaris potentia declinavit. Ab
hac, juxta autoritatem Levini Lem-
nij in præfatione secretioris Philo-
sophiæ, totius Europæ profluxisse no-
bilitatem seriò pronunciavit Carolus

Im-

Imperator hoc nomine Quintus, &
tot inter palmas, hanc verè lemniscata
tam censuit, quod ex tam generosa
propagine illustris ipse surculus pro-
diisset. Hujus cognationis & hoc
locuples argumentum esse potest,
quod ipsi olim Gothi, cum in Hispanijs
regnum suum firmassent, adhuc
familiaritatem cum ijs Gothis, qui in
Scanzia fuerunt, colere consuevere,
ut videre est ex Concilio Toletano
Octavo, cuius Actis, inter Viros Illu-
stres Officij Palatini, Comites quo-
que Scanziarum Adulphus, Erantius,
Fandila, Afrila & Venedarius sub-
scripsere. Sed quid opus verborum
prolixitate? Virtutem Gothorum
loquitur capta Roma, qui refractis
Noricarum Alpium claustris, cum Re-
ge suo Alarico in Italiam irrupere, &
obsessos in principe urbe cives ad ul-
tima humanæ patientiæ exempla ad-

ege-

egerunt : tandemque ipsam arcem Imperij & gentium dominam expugnarunt, deditam, omniaque incommoda passam , quæ in Trojano excidio Poëtarum ingenia invenere : adeò, ut miseranda excidij facies Divum Hieronymum alibi in lachrymas evocârit. Nec minor Ataulfo, Alarici successor, animus fuit , qui ea mente in Romam signa vertit, ut vix à pristina clade resurgentem rursus invaderet, direptoq; quod prior calamitas, reliquum fecerat, auro, occupatam urbem expuncto Romæ nomine, Gothiam appellaret. Hunc Ataulfum, hac temporum scena, orbi repräsentatus creditur Gothicus ille Hercules **GUSTAVUS ADOLFUS**, cuius nomen, ut cum terrore hostium præclarè sustinet, ita animi magnitudinem rerum gestarum gloriâ longè excedit. Nec fortasse orbem

B felix

felix conjectura fallet, si ex replicata temporum memoria, hoc argumentum collegerit, etiam nomina gentibus nonnullis fatalia fuisse. Cor Regis in Dei manu est, qui solus absq; arbitro novit, quid HESPERIÆ EXTREMUS AQUILO MINETUR. Eo certè nunc anno vivimus, quo

TeVtonIæ pesteM, qVIa noXIVs IntVL It AVster.
VentVs ab aD Verso, qVI VenIta Xe, fVgat.

Hactenus de origine Suecorum. Nunc de Ducatibus & Dynastijs, & quibus amplissimi Regni compages coaluit, atque in invidendæ potentia magnitudinem surrexit, porrò subijcere aliquid lubet. Hujus verò vastitas vel ex eo potest intelligi, quod ab Stocholmia regia sede, ad fines usque Lapponum, qui Boream respiciunt, mille passim numerantur milliaria Italica, & à limite extremo

Da-

Daniæ , quæ in ortum declinat , ad eandem iterum Stocholmiam , quæ in Regni umbilico sita , iter sit expedito viginti dierum , uti calculum ponit author Archontologiæ Cosmicae . Et si fidem ijs habemus , qui Sueciam , quæ in longum , quæ in latum patet , emensi sunt , dicent illi nobis , eam Italiae Galliæque simul magnitudinem æquare , multò etiam excedere , si accenseantur Lappones & Finlandi , cùm sedes Lapponum Sueciæ magnitudini nihil concedat . Olim Scandiam sive Balthiam dixerre , quicquid terrarum sinu Balthico & Oceano clauditur , quam in regna tria Norvegiæ , Sueciæ & Gothiæ divisere ; sed in his eminent Suecia , quæ etiam diu cæteris imperavit , licet nunc Danis subsit Norvegia . Atque hæc causa est , cur Sueciæ Regum insignia tres præ-

B 2 ferant

ferant coronas : quod quidem non ali-
ter fit à Daniæ Regibus, quàm quod
ipsorum aliqui Sueciæ aliquando do-
minati sunt. Alij Sueciam in unde-
cim Ducatus, Comitatus verò duo-
decim divisere , sed sinceriùs hodier-
ni scriptores hoc regnum partiuntur;
videlicet in Sueciam , Gothiam , Fin-
landiam , Ingriam , atque Estoniam .
Suecia rursùm in Sueoniam propriè-
dictam , & Nortlandias distinguitur.
SUEONIÆ adnumerantur Uplan-
dia , Westmania , Dalecarlia , Neri-
cia , Sudermania. *Uplandia* Regum
fede, plurimisq; opportunitatibus cla-
ra , à Dalecarlo fluvio interluitur.
Regni caput est Stocholmia : olim
ab Agno Sueonum Rege Agnificia-
appellata , & à Birgero larl muribus
mœnibusque communita. Nomen-
traxit non à palis , quibus nixam &
superstructam aliqui perperam au-
tu-

tumant. Sita enim in colle , nuspi-
am opus habet fistucatione ad firman-
dum substructionibus solum , quùm
fundus natura stabilis sit & constans:
sed à trabium Insula. Stock enim
Germanis trabem vel lignum crassius,
Holm verò Insulam significat.
Quippe ex vicinis locis advectæ flu-
minibus in hanc insulam trabes , pri-
mam urbi condendæ occasionem ex
opportunitate rei , & vecturæ com-
moditate fecerunt. Aditus ad eam ex
mari Eoo , per angustas Melleri fau-
ces , profundo alveo patet , eaque ca-
pacitate mare admittit , ut naves one-
rariæ passis velorum alis in portum
facilè invehantur. Imminet urbi arx
regia , opus vastum , & multorum Re-
gum cura munitum , ornatumque.
Huic urbi Boream versus succedit
Upsalia , quondam totius Septentrio-
nis Regia , & Ingonis Regis decreto

B 3 ca-

caput & sedes regni constituta, ut docent Iohan Magnus Archiepiscopus, & Doctor Ericus Olai Canonicus Upsaliensis : quod justum censeret, ut præcipua æstimatio illo loco habetur, in quo præcipua Deorum cultura in gentilium illa caligine servabatur. Hodie sedes Archiepiscopal is est, templo cathedrali & elegantissima arce, in prærupto colle, decorata. Hanc ad ripas Salæ amnis positam clarat Academia ab Illustrissimo Regni Gubernatore Stenone Sturio cum Cleri suffragio fundata, & opera Legati Ragualdi Ingemundi, Canonici, à Sixto IV. Pontifice, privilegijs Academiæ Bononiensi conformibus, Anno 1476. tertio Calendas Martij confirmata. Alia sunt hujus Ducatus opida: Sigtuna, quæ à Siggone Suecorum Rege conditore nomen sortita, sub Erico Stenchillo Rege anno

no 946. sacris Christianorum imbu-
ta, & postea Careliorum Esthonum-
que hostili violentia flammisque pro-
strata, pristinæ majestatis & opulen-
tiæ ruinam in reliquijs suis solatur:
Enecopia item & Oregundia, merci-
monijs quidem valentes, minimè ta-
men splendorem duarum priorum ur-
bium referentes. *Vvestmannia* soli
bonitate cum Uplandia paria facit:
mineris autem & feliciore metalli
proventu eam vincit: argento, fer-
ro, chalybe, plumbo, cupro, velut
exundantis terræ muneribus perquam
locuples. Inter Civitates, præstan-
tiæ prærogativa gloriatur Arosia, ar-
genti fodina nobilis, sede item Epi-
scopali, (cujus Præfules Pontificis
olim Quæstores audiebant) templo-
que Cathedrali, Divis Nicolao &
Ægidio consecrato, cum arce, con-
spicua: olim etiam grandi Domini-

cano-

canorum collegio & duabus alijs parochialibus Ecclesijs insignis. Quam velut matrem sequuntur alumnae, Arbogia & Copingia. Dalecarlia Arosensi Episcopo, quo ad jura Ecclesiæ subjecta, incisis rupibus & præruptorum montium eminentia, antrisque ære & cupro gravidis, ubique abundant, quæ avaritiæ humanæ fomenta, loci incolas in intima terræ viscera illectant: ancillante huic operi naturæ clementia, quæ silvis amniumq; viva scaturigine hanc regionem impensè dotavit. Nericia terrenis oppidò fœcunda, hujus generis utensilia reliquis provincijs copiosè suppeditat. Hunc olim principatum (ut autor est Iohannes Magnus Gothus) Diva Birgitta, quæ eum possedit, plurimum illustravit, quæ marito Ulphone Gudmari viduata, Romæ obiit, & mo-

monasterij Vastenensis fundatrix ab obitu suo Indigetum fastos auxit. Opidum habet unicum Orebrogiam. *Sudermannia* Meridionali Melleri ripæ accumbens, longitudinem habet, quæ ab occasu in ortum vergit, dierum quinque. In sacrâ Ecclesiam cathedralem Stregnensem agnoscit, cujus primam infulam gessit S. Eschillus, qui ex Anglia zelo religionis in Sueoniâ profectus, & ab immiti paganorum turba immaniter trucidatus, anno 1129. inter Divos sanguine suo purpuratos referri meruit. Opidum princeps est Nicopia, emporio clara, & arce egregia, Sudermanniae Ducis sede, nobilis. Huic succedit Strengesia urbs Episcopalis, cujus Præfules Regni semper Suecani fuerunt Cancellarij, cùm Pontificij adhuc ritus florerent. Hodie Caroli IX. Serenissimi Regis, ejusque primæ con-

C ju-

jugis Mariæ Palatinæ monumentis claret. Sunt in hoc etiam trætu Telga , ubi S. Ragnildæ Lipsana assertantur , quæ fuit Ingonis 4. Sueorum Regis conjunx : Torsilia item & Trofa mercimonij inclitæ civitates.

NORTLANDIÆ provinciæ sunt Gestricia & Helsingia. *Gestricia* præter ferri mineras, agrum habet frugum pabulique lætum , & in eo unicam civitatem Gevaliam , ad sinum Oceani opportuno loco procumbentem , qui dives rerum in orbe nascientium mercator, merces suas quotidiè invehit , avehitque. *Helsingia* ditio-
nis suæ terminos nomenque longissimè protendit, cuius rei indicium fa-
cit Scaniæ Helsingburgum, quod sub
Daniæ Regis Imperio ad oram Ore-
sundæ freti jacet. Sed & priscis tem-
poribus colonias deduxerunt , qua-
rum in Caiania & Finlandiaq; Septen-

trio-

trionalis locis maritimis, Nylandiæque finibus in hodiernum usque diem durant reliquæ. Hujus provinciæ incolæ partim sunt nativi Helsingij, partim Lappones, quorum illi ditiones sibi subjunctas partim habent Helsingiam propriè sic dictam, Midelpadiam, Angermanniam & Botniam: hi verò Lapponiam. Regio, quæ propriè Helsingia dicitur, olim Sundhede nominabatur: quod nomen hodieque in sigillo istius provinciæ legitur cum hac epigraphe: *Sigillum communitatis in Sundhede*. Civitas in ea Hundingsvvaldia est. *Medelpadia* frequentibus silvis & montibus incincta, duos fluvios habet variorum piscium, præsertim autem salmonum, opima captura divites: quicum aquarum limpideitate præcipue lætentur, in has aquas confertim penetrant. *Angermannia* territorium habet in

C 2 duo

duo quasi brachia divisum. Meridionalior pars à mari Finnico, versus occasum æstivum protenditur : borealior ad mare excurrit : utramque silva interstinguit, cui præruptus & horribilis mons Scula nomen fecit. Civitas ei una Hernosandia est, mercimonijs inclita. *Bothnia* longo terrarum tractu diffusa, populorum multitudine colitur, distincta à Geographis in Occidentalem & Orientalem, quarum hæc alio nomine Cajania appellatur. *Lapponia* borealium provinciarum extrema regio, silvis, montibus, lacubus fluminibusque interstincta. Hujus olim populi magorum carminum incantamentis & OrCi ministerio infames erant : postquam verò cœlestis gratia eos ad legis Christianæ mansuetudinem inflexit, relicta Stygis servitute, præstigijs omnibus valedixerunt. Simpli-

cem

cem gentem orbi hodie commendat
probitas, frugalitas, & quod alibi
mirum auditu, alieni abstinentia:
ita ut mercatores merces suas sæpe
numero illinc stragulo saltē adver-
sus injuriam cœli obiectas sine ullo
custode sub dio & frigido Iove relin-
quant, atque aliorum ad expedienda
negotia profecti, in reditu omnes
sartas tectasque & indemnes repe-
riant. Hodie tribus paret Regibus.
Pars Meridionalis & mediterranea
Suecicos fasces agnoscit, & in longi-
tudine ultra centum millaria Ger-
manica complectitur, in latitudine
nonaginta quinque territorijs divisa.
Norvvegiæ, & per hanc Daniæ Regi
subest tractus maritimus, secus Ocea-
num, quem Finmarchiam nomi-
nant, cujus incolæ Scritofinni no-
minantur. Moscovitico sub jugo
sunt, qui districtum à castro Vardhu-

C , siæ

siæ ac Finnemarchijs proximum versus
ostia Maris Albi incolunt, dicti Dicki-
jopps, quasi dicas, Lappones feri ac
silvestres. Scritofinnos Sueci Skid-
finnos appellant, & eandem appella-
tionem Lapponibus adscribunt quo-
que : utpote qui soleis ligneis, quas
Skids illi vocant, solerter uti norint,
celerrimèque per altissimos nives cur-
rendo feras insectari, aut iter suum
persequi. Quæ res Suecis in funden-
do hoste non mediocri interdum præ-
sidio fuit. Cùm enim SkidKarli illi
ligneo suo calceamento vecti, ceu vo-
lantes ex omni parte irruunt, hostis
ne latum pedem excedere valet, sed
quà eques, quà pedes totus nivium
cumulis obrutus cum laneo hoc vel-
lere luctari, & natare quasi satis ha-
bet : impluente desuper armorum &
telorum mortifero illo imbre. Cujus
rei testimonium firmatur evidenti ex-
em-

emplo quod Ioannis III. Suecorum Regis obitum antecessit. Moverat Rutenorum ille Dominator in Finlandiam , cum centum armatorum millibus, vastatus totam regionem & occupatus, nullo Suecico milite praesente : sed sexcenti tantum rusticis e Ieskis collecti , & ligneis inventi soleis more fulminis, totos hostium manipulos dissiparunt , fuso partim , partim retuso & in Russiam suam fugato tam numero exerceitu.

GOTHIA inter duas gentes, Sueones & Danos, posita , ne ab utroque latere semper hostem haberet , societatem primò cum Sueonibus inijt : sive quod hi potentia, siue mansuetudine præstarent, usque dum sub unius Regis Sueciæ diadema coaluit. Res tamen prodigo non assimilis, Gothos gentem bellicosam

&

& toti Europæ formidabilem Suecis
in patria adeò cessisse , ut juxta veteres
Westrogothorum leges , penes
Suecos jus fuerit Regem in utroque
regno aut assumendi , aut abdicandi.
Regnum hoc in tractum Orientalem
& Occidentalem dividitur. Occiden-
tal is provinciæ sunt Westrogothia ,
Dalia & Wermelandia. *Vestrogothia*
pecorum abundantia & frugum fer-
tilitate felix , civitates habet Goth-
burgum emporium , Scaram Episco-
palem , quæ fundationem suam de-
bet Scarino Gothorum Regi , Mariæ-
stadium , Lidecopiam , Skedvi , Hio ,
Bogesundam , Brettam & Ludosiam
veterem. *Dalia* etsi ob montes aspe-
rior videatur , tamen verrucosis rupi-
bus succedunt pascuorum ubertate
læti colles , unde armentorum innu-
mera examina alit ; sita est inter va-
stissimum lacum Venerum & Norve-
giam.

giam. *Vvermelandia* inter Gothorum regiones postremò culta, montium crepidinibus attollitur, diffusis *incincta* silvis, & pisculentorum lacuum stagnis jucunda, fluvijs etiam salmonum capture inclitis, & ferri cuprique venis dives. Civitatem habet Carolopolin, quam Serenissimus Suecorum Rex Carolus IX. suo nomine insignivit. Orientalis Gothiæ regiones sunt Ostrogothia, Smalandia, Oelandia. *Ostrogothia* ampla regio est, à Westrogothia lacu Venero disclusa, teracis admodum soli, & nusquam non ad fruges eximiè fertilis, herbidorum pascuorum viriditate læta, & ubique propitio solo amœna : variarum item ferarum venatione, aucupio, piscatura & mineris opulenta. Civitates in ea sunt Västenum, cœnobio à Diva Birgitta condito, & nobilissimis Heroum He-

D roi-

roidumque monumentis inclitum.
Scheningia vetustate celebris , ubi
S. Ingridis in cœnobio à se extructo ;
nec non Margareta Valdemari Sueo-
num Regis filia mortalitatis suæ exu-
vias deposuere. Lincopia , sedes Epi-
scopalis , (cujus Præsules ab antiquo
Regni fuerunt Archicamerarij,) cine-
res habet Olai & Amundi Sueciæ Re-
gum , nec non Stenonis , Gustavi Re-
gis filij , ejusque aviæ Ebbæ , Erico
de Loholmen elocatæ. Norcopia &
Sudercopia emporijs clarent. *Sma-*
landia à pecoribus , quorum ibi fœ-
cundior , quàm alibi proventus , no-
men suum fortita , in ambitu com-
plectitur Germanica millaria nona-
ginta quinque : regio est in fruges
& pabulum benigna , nemorosâ sil-
varum opacitate vestita , cuius incolæ
ex annua gregum & armentorum fœ-
turâ , rem & quæstum faciunt. Ci-
vi-

vitates pro sua amplitudine non ita multas habet : præcipuæ tamen sunt, Calmarnia, Australis Gothiæ caput, Ienecopia , Vexionia, Ecclesia Episcopali , & magnifico Francisca-næ familiæ cœnobio insignis, Eckesonia item & Westervica. *Oelandia* fertilis insula est, pascendo pecori & jumentis uberrima , collum apricitate & luxuriante herbarum viriditate amoena, Ecclesiæ habet viginti duas, arcem verò & ingenio artis & naturæ præsidio egregiè munitam , Burcholmensem.

Sequitur in ordine FINLANDIA, olim Regni , nunc magni Ducatus titulo inclita, quæ non à pulchritudine aut amoënitate , ut volunt Gerardus Mercator , Matthias Quadus & alij ; sed ab hostibus nomen traxit. Cùm enim veteres Sueci à Finnonibus, qui proprios adhucdum

D 2 Re-

Reges habebant, crebrius infestarentur, terram hostilem, quasi *Feindland*/ nuncuparunt, quod vocabulum usū postea contractum, abiit in Finland. Regio est non frugibus tantum, sed omni animantium genere, quæ venatu & aucupio ad cibum capi solent, referta, flavijs etiam piscosis irrigua. Suos olim Reges habuit, donec à S. Erico Sueciæ Rege, circa annum M C L magnam partem subacta, & Suecico sceptro adjecta, Christianorum sacra suscepit. Dividitur in Finlandiam Australem & Septentrionalem, Cajaniam, Savolaxiam, Tavastiam, Nylandiam & Careliam. *Finlandia Australis* initium suum sortitur circa Aboam, Episcopalem hujus tractus urbem, paroecijs centum & viginti quinque nobilem, cuius primus Antistes D. Henricus ex Anglia oriundus, Finnones Christi fā-

cris

cris imbuit. In occidentali parte veterem habet arcem Gustoniam , cu-
jus prostratae etiamnūm cadaver ni-
hil extra mortalitatis aleam in terris
esse docet. *Finlandia Aquilonaris*
utramque Satagundiam , Viemonen-
sem & Masconensem districtum com-
pleteens , famigeratum flumen habet
Cumoelfum , quod circa civitatem
Biorni - castrum dictam , in mare se
evolvit. Inter præfecturam hanc
Biorniburgensem & Aboam jacent
opida , Raumona , Neostadium &
Nadenthalia , Latinis Gratiæ - Vallis
nominata , celebri quondam mona-
sterio clara. *Cajania* , alias *Botnia*
Orientalis , fluvijs abundat : opida ve-
rò duo tantūm habet , Ulam & Va-
sam , nec non castra , Cajaneburgum
& Ulaburgum. *Savolaxia* plurimis
lacubus fluvijsque irrigua , qui omnes
penè per Voxenum flumen in Lado-

D 3 gam

gam lacum effunduntur : & soli inter Scanzianos lacus, phocas sive vitulos marinos alunt. Hujus regionis arx munitissima habetur Nystort, sive castrum-novum, anno 1475. ab Erico Axelij condita, & Divi Olai arx nuncupata. *Tavastia* mediterranea regio arcem habet firmissimam, castrum *Tavastiae* dictam, quam muris & propugnaculis munita & fermè inexpugnabilem reddit Birgerus Ierl à Bielbo, Ostrogothus, Erici Balbi Sueciae Regis sororius, Valdemari & Magni Regum Pater, anno Christi 1250. ad retinendos in obsequio & fide *Tavastios*, quos armis subactos ad Christianæ sacra traduxerat. *Nylandia* non ideo nova terra dicitur, quasi olim nullos habuerit indigenas ; sed quod ejus coloni, qui eam modo inhabitant, respectu reliquorum, ea nuper loca in-

infederint. Docent enim pagorum, aliorumque locorum nomina, Finones, Careliosque hanc terram prius coluisse. Ingenium soli fertilem glebam nutrit, piscationes etiam au- cupia, & venationes lautas, opimasque. Opida in ea Borga & Hesingforsia. *Carelia* Scantziæ latus Ori- entale claudit : à meridie sinum ha- bet Venedicum, à quo per multa ter- rarum intervalla, nempe centum am- pliùs milliaria Gothica extenditur in Aquilonem, ubi Scritfinnia, & Ocea- no Scythico terminatur. Regio est inter Molchos & Sueones, cuius po- puli in gentilitatis illa caligine vici- nis suis acerrimè insultarunt : do- nec Turgillus Canutus, Birgeri Re- gis Tutor, eos potenti manu fractos, Suecorum imperio adjecit : erecto ad confinia munitissimo præsidio Wi- burgensi, adversus insultus Ruteno- rum;

rum; qui tamen postea crescenti Suecorum potentiae se opposentes, Car Eliam iterum occuparunt, de cuius dominio, a nicipiti Marte inter utramque gentem aliquamdiu certatum, Suecis eam semel totam occupantibus, Rutenis vero eosdem rursus reprimentibus: donec Magnus cognomento Smech, Sueciae Rex, & Georgius Novogardiæ Dux, pactis foederibus eam inter se partiti sunt. Superioribus autem annis, cum Johannes Basilides Suskius, Magnus Moschorum Dux à Polonis vehementer pressus, jamque de salute & totius imperij summa periclitatus, Caroli IX. Serenissimi Suecorum Regis auxilium implorasset: non defuit magnanimus Rex laboranti vicino; sed misso aliquot millioni armatum exercitu, sub imperatore Jacobo de la Garde, præclari illius Ponti La-

gar-

gardij militum Ducis filio, Comite de Leccoe, hostium vires tanta generositate infregit, ut Moscoviam imperij Rutenic regiam sedem, ipsumque Magnum Ducem arcte cinctum, trucidatis aliquot Polonorum milibus, ab obsidione liberarit. Quod ingens beneficium detestabili fraude, perfide Moscoviæ ille dominator pensavit. Quamvis enim ob latas in re trepida suppetias, Carelogorodiæ si- ve Gexholmiæ ditionem, una cum civitate & arce, Regi Carolo, ejusque Regno cessurum se dato diplomate promiserit: res tamen eventu caruit. Missis namque clandestinis literis, jussus est Castellanus Notterburgensis data Legato diplomata, & exsoluta militi Suecico stipendia intercipere, & in ipso munitissimo castro reservare. Qua injuria irritatus Potentissimus Rex Carolus, Gexhol-

E miā,

scenti S
entes, C
t, de caju
ncter utram
certatum,
occupanti
rurus se
gnus co
Rex, &
r, pacis
is facie
am Jo
Magnus
is vbe
fature &
us, Ca
Regis
defuit
vicio;
armato.
e Jacobo
onti La
gal

miam , aliasque arces plures vi occu-
pavit , ipsam etiam magnam Novo-
gardiam armata manu ingressus est.
Quo è vivis sublato, **GUSTAVUS**
ADOLPHUS, Augusti Patris ingens
Successor , inexpugnabile hoc ca-
strum Notterburgum , sola inedia ad
deditonem adactum , suum fecit , &
diplomata recepit , ipsos etiam Rute-
nos cladibus tantis defatigavit , ut
Michaelem Federovitzium Ante-
cessoris sui literas confirmare , & fir-
missima propugnacula , Notterbur-
gum , Ivanogrodiam , Iamam , Copo-
riam , earumque ditiones Ingriam &
Gexholmiam sibi perpetuo jure pos-
sidera assignare , pacisque æternæ
fœdus jurejurando confirmare coë-
gerit . Qua de re videatur **Thuani**
Continuator sub annum 1618. & **Johannes**
Skytte in legatione sua *Anglicana* . **Gex-**
holmia ad ostium fluminis Woxenij se-
det,

det, cujus in citeriore parte civitas, in ulteriore arx procumbit, quas rapidus ille torrens allapsu suo immane quantum firmat. Ruteni Carelogorodiam, hoc est. Careliae munimentum vocant. Hic loci natura etiam gemmas parturire amat; Lapidès enim gignit pretiosos, quos Rubinos Gexholmicos incolæ nominant.

INGRIA sive Ingermanlandia, Rutenis Isera appellata, non ita pridem, ut dictum, Sueciæ fascibus se submisit. Solo fertili, fluvijs pisculentis, & variorum aucupio venationeque animalium celebratur. Præsertim verò Alcibus, quos Græci Tragelaphos, Sueci Elgh, Germani **Elen** vocant, à miseria, quod frequenter morbo caduco laborent: quæ animalia bis quotannis flumen Niemann tranant, & in ipso trajectu capiuntur. De hac fera videatur *Jul.*

E 2 C4-

*Cæsar de Bello Gallico, libro 6. Et Plinius
lib. 8. c. 15.* Hujus regionis castra
fortissima, velut claves Moscovitici
imperij, sunt Notterburgum, Rute-
nis Orefca, quod Nucem signifi-
cat, in fauibus rapidissimi fluvij
Nievæ situm, ob amplitudinem
fluminis nulla tormentorum vi con-
cuti aut quassari potest, ideoque ab
invictissimo Suecorum Regnatore
GUSTAVO ADOLPHO,
non fame, sed incredibili, quæ cœ-
litùs immittebatur, inediâ ad dedi-
tionem compulsum est. Nec enim
obsessis deerant edulia, sed verrucæ
quædam in ore & fauibus enatæ,
omnem deglutiendi facultatem præ-
focabant. Ivanogorodium Narviæ
oppositum, in Isthmo rapidè flumi-
minis alveo cinctum, oppugnantes
ab omni parte arcet. Cui muni-
mento in defensionem suam impensè
na-

natura favere creditur , quæ fundo
toto lapideo cuniculos omnes exclu-
dit. Jamnia munitum ad Plussæ osti-
um , versus septentriones , castrum est ;
sicut & Coporogia , urbs & castrum
ad ripam fluvij ejusdem cum urbe
nominis .

ESTHONIA , Alexandro Gua-
gnino Estlandia , Livoniæ pars est,
Æsthiorum aqud Tacitum antiqua
sedes , extra Finnicum sinum , ad
Orientem posita , Harriam & Wirriam
complectitur ditiones . Olim Daniæ
Regi Waldemaro subjecta , qui eam
Anno 1346. Magistro ordinis Teuto-
nici , ejusq; sodalitij fratribus , contra
paterni pacti tabulas , & Esthonicæ no-
bilitatis jusjurandum pro octodecim
mille marcis argenti puri vendidit ,
ut docet in *Chronologicis Dania Cancel-
larius Arnoldus Vitfeldus* , & *Joannes
Iaacus Pontanus in historia Danica lib. 7.*

E 3 Quam

Et Plinii
nis castra
loscovici
am, Rote-
m signif.
huius domi
tradicen-
n vi co-
coque ab
vatore
HO,
z ce-
ad decti-
cc enim
verracc
enata,
p pre-
Naviz
flemi-
nantes
muni-
impense
da

Quam regionem cum Moschicus Imperator assidue infestaret, Ericus XIV. ab ordine Teutonico ad supprias vocatus, eam è Tyranni manibus extorsit, & sub Sueciæ sceptrum compedit. Metropolis *Harria*, quæ in longitudinem sedecim milliaribus, & octo in latitudinem patet, cum Wirriæ autem territorio Ducatus titulo honestatur, Metropolis Revalia est, urbs celebris, cum arce munitissima ad sinum Maris Balthici, & insula Episcopali clara. Cui succedit Badisium, castrum & monasterium insigne. *Virria* inter Orientalem & Septentrionalem plagam sita, isthic Balthici maris sinu, illic Nerva fluvio celebri alluitur, comple&teturque præter Wessburgi arcem & Capitaneatum, Tolseburgum, Borcholmiam, olim Episci Revaliensis arcem, Alentiam, & Nyslotum Narviæ insignem ur-

urbem, quam rivus intersecans bifidam facit, cuius altera pars Russorum, altera Suecorum Nerva appellatur. Pertinet huc etiam Iervia, ubi Wittensteinium opulentissima præfectura, & Lais: item Wickia, ubi Hapsalia, Episcopi sedes, Lehalia & Lode: Insulæ præterea Dagho, Orinso, Nugho, Urango, Oldensholmia, Nargo, Ulfso & utraq; Rogho.

Cæterum hoc Suecici imperij axioma per Reges indigenas & domesticos diu feliciter administratum, fluctuare tandem cœpit sub Magno Smecho, Erici Ducis filio, S. Erici Regis trinepote, qui neglectis rerum gubernaculis, voluptatum & socordiæ indecens se mancipium fecit. Quare ejus sceptrum deditati Proceres, Albertum Megapolitanum ad Regni habenas acciverunt. Hic cum Germanis summam rei crederet,

Sue-

Suecis sola obsequij relicta necessitate, plurimi Procerum ad Margaretam, Danicam illam Semiramidem, cum Alberto de imperij fascibus contendentem, descivere. Et licet Albertus virili fœminæ, ut joculariter eam morderet, oblongam cotem transmiserit, quâ acus & forfices gynæcei sui exacueret, tamen illavero in seria joco, irrisorem suum in potestatem & vincula redegit, & tandem duobus reliquis regnis Suecicum quoque adunavit. Verum, non diu regno stetit hæc malacia. Cum enim Margareta, Ericum, Ingelburgis sororis suæ, ex filia, nepotem in filium adoptatum, trium regnum moderatorem constituisse, ille autem non Suecorum, sed alienis commodis velificaretur, suffectis in locum indigenarum, peregrinis Præsidibus, qui avaritiam & violentiam im-

imperitè usurparent, Carolum Canutum ex Westrogothiæ equestri nobilitate, & Finlandiæ Præfectum, Principem Sueonum, regniq[ue] Gubernatorem elegerunt, vocato ad imperij clavum paulò post Christophoro Bavariæ Duce, & relictis Carolo Finlandiæ Olandiæque feidis. Christophorum defunctum exceptit Christianus Oldenburgi Comes, in Daniæ & Norvegiæ gubernaculis: Carolo Canuti, Sueciæ Proregis titulo, successit Steno Sturius, ex sorore uterina Caroli natus, heros omni laude major, qui una cum Carolo ad Ericum S. Sueciæ Regem illustres suas imagines referebat. Cui Anno 1503. defuncto, surrogatus est Suanto Sturius, & huic post octennium demortuo, Filius Steno Sturius junior. Hujus gubernacula & vitam abruptit fœda tempestas à Christierno II. Da-

F niæ

niæ Rege, immani Tyranno, Sueciæ
immissa. Qui cùm in ipsis regni au-
spicijs, Sueciæ Proceres magno nu-
mero, & præcipuæ nobilitatis florem
gladio carnifícis crudeliter subjecisset,
post biennium regijs fascibus iterum
excidit : in cuius solium evectus est
Gustavus Erici, perantiquo & illustri
genere Equestri, ex Trolliorum fami-
lia natus, Augustissimi Gustavi Adol-
fi, hodierni Suecorum Monarchæ
avus : qui Herculea virtute regnum
à Christierni immanitate vindicavit.
Unde Sueci hujus beneficij memores
eum, ejusque posteros, Suecici Regni
hæredes publicis comitijs elegerunt,
& promulgarunt. Cujus Augusti
Sanguinis seriem hîc
attemimus.



STEM-

STEMMA
GUSTAVIANUM:

Ex quo prodiere

Serenissimi Sueciæ &
Poloniæ Reges.

GEMUNDUS WASA,
auspex & progenitor nobis-
sime inter Suecos prosapiæ Wasarum,
dictus cognomento Trolle, Eques Au-
ratus: quæ dignitas apud Suconas Gothosque multis
retro Seculis rerum præclarè gestarum fuit insigne.
Vixit circa annum salutis humanæ, M CCL.

NICOLAUS I. Eques Auratus & Senator
Regni Sueciæ. Anno MCCLXXXV.

CHRISTIERNUS I. Eques Auratus, & sub Rege
Birgero, Stolholmiæ Prorex & Gubernator, Anno
videlicet M CC LXXX, quo Birgerus adhuc intra
adolescentiæ metas positus, regii throni fastigium
nondum fraterno sanguine fœdaverat,

F

CHR

STEM

CHRISTIERNUS II. Eques Auratus, & Regni Sueciæ Armiger, quæ dignitas, ut docet *Thomas Smith*, libr. I. de Republ. Anglæ. eos designat, qui nobilitatis suæ specimen, ex qua emanarunt, in insignibus gerunt; nihilque à nobilitate differt, nisi quod arma præfert generis sui claritatem repræsentantia. Vixit Anno M CCCI.

CAROLUS I. Christierni, Eques Auratus & Regni Suecici Armiger.

CATILLUS I. Caroli, Armiger Regni, memoratur vixisse circa Annum M CCC XXX. In ejus consortio fuit Christina, Filia Bononis Iohannis, Sueciæ Armigeri.

NICOLAUS II. Catilli de Biorno, Stocholmiæ Gubernator sub Magno Sueciæ Rege, qui Smechi cognomentum habuit. Vixit circa Annum M CCCLX. Conjugem habuit Christinam Iohannis Nicolai de Guldenstern, Regni Senatoris & Equitis Aurati filiam, genitam ex Martha Erengilonis, Iarli, Comitis Orchadensis sorore.

CAROLUS II. Catilli, Sueciæ Regni Armiger.

CAROLUS Caroli, Eques Auratus, & Regni S^r Senator.

CÆCILIA nupta Thoro Bondeno, Castellano arcis & oppidi Viburgensis in Carelia Fennonica, viro integerimo, qui A. 1415. diem obiit, &

INGEBURG IS virgo Vestalis in cœnobio Clarissarū Stocholmiæ, ubi cū filia Magni Ladulæ Regis, in

in Cœnobio Västenensi sepul-
crum habet.

dicti cœnobii Anti-
stirâ, tumulata jacet.

CHRISTIERNUS III. Nicolai de Bior-
no, supremus Regni Senator & Archidapifer, quem
vulgò Drozet vocant, quæ vox Proregem designat,
qui absente Rege, cum amplissima potestate codem
officio fungitur. Christiernus hic à Carolo Canuti
Gothorum & Sueonum Principe, magnam Finlandiæ
partem, una cum arce & opido Viburgensi, clientelari
beneficio obtinuit. *Iohann. Magnus Gothus, libr. 22.
cap. 15.* Fuit apud Christophorum Sueciæ & Daniæ
Regem in flagranti gratia, nominaturque ab *Isacio Pon-*
tano libr. 9. historia Danica Regni Satrapa. Fatis con-
cessit anno MCCCCXXXII. die Pentecostes. Tha-
lami consortem habuit Margaretam Erici Krumedick
à Tranecker, Holsati, Equitis Aurati & Senatoris Re-
gni ex Beata de Phlitzingen Bavarâ, Erici XIII. Sueciæ
Daniæque Regis cognatâ, filia; defuncta anno 1451.
Iacent ambo tumulati Stocholmiæ, in æde Monasterij
ad Minores.

CAROLUS
Christierni E-
ques Auratus,
Regni Senator
& Praefectus
Ringstadhol-
miæ: Decessit
Rævaliæ, ante
Patris mortem
an-

NICOLAUS
Christierni III.
Baro Diurshol-
miæ, Eques Au-
ratus, Praefectus
Westrasie & Da-
lecarliaæ, mor-
talitatem expli-
vit Anno Chri-

sti

CHRISTINA
nupsit Benedicto
Iohañis, Vplandiæ
Legifero: quasi di-
cas, Iudici Provin-
ciali: Mater Ioh-
annis Benedicti,
Archiepiscopi Vp-
liensis, & Christi-
erni

Anno Christi, sti Salvatoris M
CCCCXL. CCCCLXIII. erni Domini in Sa-
lestadt.

JOHANNES Caroli
Eques Auratus, è vivis ex-
cessit Anno post nativitatem
Chr. MCCCCLIL.

ERICUS de Norby,
Eques & Senator Regni, cui
uxor Anna, filia Caroli Be-
nediti de Winsdorp, quæ
Vidua nupsit Erico de Gul-
denstern.

CATILLUS, Anno
MCCCCLIX Episcopus Lin-
copiensis amittinum suum Io-
hannem Episcopum Vptalien-
sim, nullo jure captivum,
è vinculis Daniæ R. Christi-
erni liberavit, cum quo nu-
merosis copiis circa Arosiam,
felici Marte configens, in-
signem, retulit Victoriam.
Obiit peste Stocholmiae,
Anno Salvatoris nostri unici,
MCCCCLXV. Tumula-
tus, in summo choro Linco-
piensi.

JOHANNES I.
Christierni de Ore-
by Eques Auratus, &
Regni Senator, mun-
do valedixit Año Ch.
M CCCC LXXVII.
ipso anniversario die,
qui Christo à mortuis
resurgentí sacer est.
Stocholmiae apud Mi-
nores sepulcrum ha-
bet. Conjunx illi fuit
Birgitta, Gustavi Stu-
ronis, ex Birgitta Tu-
ronia filia, Soror Ste-
nonis Sturonis senio-
ris de Gryphholm,
Succorum Principis &
Gubernatoris, qui ge-
neris sui primordia
alto à sanguine S. Erici
Suecia Regis deduxit.
Vitam amisit illa in
puerperio, Anno post
natum Christum Re-
demptorem nostrum
MCCCCLXXII.

CHRI-

CHRISTIERNUS ANNA elocata Ioan-
IV. Iohannis de Oreby, ni Turonis, Regni Mare-
Eques Auratus. schallo.

ERICUS Trollius à Gryphholm, Eques Aurora-
tus & Regni Senator, Legifer Alandiae, Princeps à ma-
gna Senatus Suecici parte designatus cùm esset, jux-
ta testimonium, Iohannis Magni Gothi libr. I. cap. I.
Suconum nobilissimus, moribus etiam integerrimus,
& in rebus gerendjs prudentissimus; tamen prævalen-
te recenti paternorum meritorum memoria, in Sue-
ciæ Principatu Steno Sture junior ei prælatus est. In-
digna nece trucidatus est à Christierno II. Danorum
Dionysio, Anno MDXX. cum alijs Procerum præci-
puis, quos Stockholmia populo astante & trepidante,
in foro obtruncari ussit. Vxorem habuit Cæciliam
Magni de Ecka, Equitis Aurati & Regni Senatoris Fi-
liam, cum alijs matronis & virginibus eodem anno
carceri mancipatam, & paulò post in Diam à Rege
Christierno deportatam.

BIRGITTA JOHANNES MAGNUS I.
Trollia. II. Erici. Erici Trollius.

MARGARETA nupta
primum loachimo de Bra-
he, Comiti de Wyffings-
borg, Baroni de Ribde-
holm. Secundis nuptijs
sociata Joanni Comiti Hoi-
ensi, è quo suscepit Johan-
nem

ANNA insignis virgo
diem clausit extremum,
Anno post Redemptio-
nen Gentis Humanæ,
MDXIV. cujus cineres
servâtur in celeberrimo
Ostrogothiæ Monaste-
rio

nem Episcopum Monasteriensem, & Jodocum, Hoenes Comites in hac familia ultimos.

rio Vastenensi , quod Divæ Birgittæ etiam. num monumento claram habetur.

GUSTAVUS I. Erici, genitus est Anno Dn. M CCCC LXXX. die Christo in cœlos ascendentis consecrato. Puer in aula Stenonis Sture avunculi sui magni educatus est. Tyrocinium militare posuit sub Suantone Sture, Suecorum Principe & Mareschallo, cuius filio quoque Stenoni juniori summus Equitum vexillifer, insigni virtutis testimonio militavit, & duabus potissimum præliis , quibus Steno vicit hostilem exercitum profligaverat , inclinavit. Inde cum Christiernus exhibitum humanitatis beneficium detestanda fraude pensaturus , sub colloquij insidioso praetextu, fraudulentam Stenoni captivitatem moliretur, & spe sua frustratus , Gustavum aliosque collegas obfides pacis , captos secum in Daniam contra datam fidem abducebat , Gustavus in arce Iutica Kalo , ad litus maris Balthici , aliquamdiu atque detentus est. Postea laxius habitus ab Erico Bannero arcis Praefecto, ubi Patriæ suæ mala & immanem Christierni tyrannidem, in procerum jugulos sævientem crebris rumoribus intellexit, inter venandum erroris specie secedens, à custodibus Lubecam primùm mutato habitu, inde ope Nicolai Bromsij Consulis in Sueciam contendit, petens avitum gentis suæ prædium Refsnas . Illic indigna patris & consanguineorum audita clade, justa correptus indignatione , nationem belli avidam , libertatis amantem , & vindictæ studio flagrantem, verbis

bis primūm, pōst crescente fide, exemplo suo ingenti magnitudine animi ad arma evocavit. Professi sunt nomen primi Dalecarlij, qui montes illos incolunt, quibus Suecia à Norvegia dispescitur. Sunt plerique fossores metallarij, gens dura & ferundo labori adsuetā. Horum ope & opera Danorum præsidium Arosiæ impositum ejecit. Archiepiscopum Vpsaliensem prælio vicit, qui ubi de Suecia desperare cœpit, in Daniam profugit. Ita Gustavus Stockholmia pōst bīennalēm obsidionem potitus, libertatis assertor, tyrannidis propulsator, Patriæ defensor dictus, firmataque vacui regni possessione, consentientibus suffragijs, SUECORUM, GOTHORUM & VANDALORUM REX salutatus est Anno 1523. Prid. Non. Maij. Qui licet quinquennio pōst, regio diademate publicè præcinctus fuerit, cum regia tamen potestate regni curam mox suscepit, juris prisci tabulas novis capitibus auxit: nomophylaces, juri dicundo, provincijs dedit: instauratāque Augustanæ Confessionis doctrinā, Pontificios majorum ritus antiquavit. Quod quidem regnum summa cum prudentiæ & autoritatis laude gubernavit annos triginta & octo. Decessit è terris, cœlo maturus 3. Calend. Octobr. Anno cl̄ iō lx. Princeps verè insignis, sapientia & virtutibus, quæ Reges implere possunt, magnus: Pater Patriæ, regnique novus restaurator & conditor. Dignus omnino, cuius memoriam Sueci venerentur, exemplum verò Serenissimus Nepos, quod facit, imitetur: Tres ordine conjuges in matrimonio habuit. Prima fuit Catharina, Magni, Saxonie, Angarie & Westphaliae Ducis filia, nupta 24. Septemb. Anno 1531.

G

quæ

quæ post quadriennium equo excusia, animari efflavit.
Altera Margareta, filia illustris viri Erici Abrahami de
Loholm, Equitis & Westrogothiæ Gubernatoris, ge-
nita ex Ebba, Erici de Norby filiâ, quam duxit anno
cic 1536. amisit 26. Augusti Anno 1551. Tertia
Catharina, Gustavi Olai, Baronis de Torpa & Guber-
natoris Westrogothiæ filia, quam solenni ritu Wa-
nis sibi anno 1552. copulavit.

Ex prima Saxonica.

ERICUS II. hujus nominis ex Trollia stirpe;
inter Reges, verò XIV. Succorum, Gothorum, Vanda-
lorumque Rex, natus 13. Decembr. Anno 1533. cùm
vicesimum quintum ætatis annum attigisset, Calmar-
iam & conjunctas provincias, ac in his Olandiam à Pa-
tre regendam accepit, cui defuncto, Anno cic 1561.
successit. Septennale cum Friderico II. Danie Rege
bellum gessit, quo & vicinorum omnium & suorum ani-
mos & odia in se concitavit. Iohannem fratrem Fin-
landiæ Ducem, qui Sigismundi Jagellonis Poloniæ Re-
gis filiam duxerat, noctu nihil tale opinantem cepit,
& cum uxore actota familia ex arce Finlandiæ Aboensi
Holmiam deductum, in carcere diuturno duriter ha-
buit. E quo Iohannes liberatus Ericum Regem fra-
trem, anno post, alternante fortuna, regno exutum,
eidem carceri perpetuo mancipavit. In quo decessit
postea Anno cic 1578. Ex concubina
Catharina, / quam humili loco natam, solenni ritu
in templo sibi copulavit, teste Chytrao, libro 22. cùm
antea

antea Reginæ Anglorum Elisabethæ nuptias per Io-
hannem Fratrem Finlandiæ Ducem & Nicolaum Gul-
densternium, nec non cum Philippi Hassiæ Landgravij
filia conjugium frustra procat⁹ fuisset, ut scribit Camb-
denus in vita Elisabethæ) suscepit

GUSTAVUM, à Magno Moscovia
Duce Borisio Federovitzio in Russiam ac-
citum, ut cum filia ejus nuptias contrahe-
ret : Sed cùm frustratus spe sua esset, in
aula primò Rudolphi II. Imperat. vixit :
postea in Russia vitâ perfunctus est, anno
Reparatae Salutis 1607.

SYRI-
AM mari
tatā Hen-
rico Tod-
eno, Ba-
roni Fin-
lando.

Ex Secunda Sueca.

JOHANNES III.
Suecorum, Gotho-
rum, Vandalorumq;
Rex, Dux Finlandiæ,
de quo sub litera

A.

CÆCILIA genita
postridie nonas Novem-
bris, Anno 1540. nupta
Christophoro Marchio-
ni Badano & Hachber-
gico : Mater Edoardi
Fortunati, Marchionis
Badani.

STE.

CATHARINA nata
6. Iunij Anno 1539. : elocata
Etzardo, Frisiae Orientalis Co-
miti, mater Ennonis, Gusta-
vi, & Iohannis Orientalis, Fri-
siae Comitum.

MAGNUS Dux Ostro-
gothia, Comes Dalia editus
est in lucem 25. Iulij an-
no 1542. cuius usuram ami-
sit Anno 1595 cùm prius
è potestate mentis exiisset.
Tumulum habet in coeno-
bio Vastenensi.

G 2 AX.

STENO natus anno 1544: quem vix quinquennem mors in herba intercepit. Sepultus in Basilica Lincopiensi.

CAROLUS minimè vitalis, anno salutis humanæ, 1546 statim post acceptas salutares undas exspiravit.

SOPHIA nata 29. Octobr. Anno 1547. elocata anno 1568. Magno, Duci Saxonie inferiotis Lavvenburgico: Genitrix Gustavi, Saxoniæ Ducis, Holmiæ 1597. denati.

ANNA Orbem ingressa, s. Id. Iun. A. 1545. nupsit Georgio Iohanni Comiti Palatino Rheni Bavariae Duci. A. 1563. eique præter Georgium Ioannem Lücelsteiniū & Ursulam Consortem Ludovici Ducis Wirtembergici, progenuit Georgium Gustavum, genitorem Caroli Ludovici Comitis Palatini, qui 1631. ad vicum Angern fortissimè pugnans, duabus globis trajectus occubuit.

ELISABETHA in lucem prognata Anno 1549. Stocholmiae Matrimonio juncta Christophoro Duci Meckelburgico. A. 1581. Mater Margaretha Elisabethæ, Iohanni Alberto Meckelburgico Duci, Agnato collocata, An. 1608. Defuncta 9. Novembris, An. Chr. 1597.

CAROLUS Dux Sudermanniaæ, Nericiæ, & Wermelandiaæ, felici partu orbi datus est pridie Non. Octobr. Anno 1510 L. Iohanne Sueciæ Rege, in Moschorum Ducem bellum gerentem, cum summo imperio militiae præfектus, Nervam Russicam corona cinxit. Sigismundo Patriuele ad supremum Poloniæ Sceptrum evocato, à Sueciæ proceribus Administrator &

& Ephorus Regni constitutus , omnibus modis artibusque contendit, ut Regem à vi armisque ad pacem, & datam jurejurando fidem revocaret ; sed cùm omnia frustra tentata à se , & Sigismundum Iesuitarum turbantium arbitrio obnoxium cerneret : eumq; quamvis ingenti clade multatum , & è regno fugatum rara moderatione denuo ad pacem & saniora consilia nec quicquam invitaret : tandem remedijs consumptis omnibus , ne se & Patriam in discrimen conjiceret , Procerum assiduis votis rogatus , ut qui & ipse in purpura natus , regni jus in cunas intulisset, ægrè tandem passus est regium sibi diadema imponi. *Vide Orationem Nobilissimi Iohannis Skytte de Groensoe & Elfuesio ad Regem Britanniarum Legati Anno 1610.* Abdicato igitur publicis tabulis Rege Poloniæ Sigismundo, coronatus est 15. Martij Anno 1592. hoc titulo : CAROLUS NONUS, DEI GRATIA SUECORUM, GOTHORUM, VANDALORUM, FINNONUM, CARELIORUM, LAPPONUM, SEPTEMTRIONALIUM, ESTHONIUMQUE IN LIVONIA REX. Qui multis rebus præclarè gestis & Republ. constituta, in bello quod cum Danis gessit, lethali morbo contracto , animam Deo reddidit Nicopiæ , die 29. Octobr. Anno 1591. Princeps sapientissimus, & bellator sine comparatione magnus. Conjugem duxit primis nuptiis MARIAM. Ludovici Electoris Palatini Filiam, Anno 1579. Quâ post decennium defunctâ, in torum regalem adscivit Anno Christi 1592. die 17. Augusti CHRISTINAM Adolphi Holstiaæ Ducis Filiam , Friderici I. Danie & Norvegiae Regis Neptem , feminam cœli & nature

G 3 do-

dotibus præcellentem, natam ex Christina, Philippo
Magnanimi Hassia Landgravij filia.

Ex Palatina.

MARGARETHA-
ELISABETHA, Nicopiæ
lucem aspexit 24 Septemb.
A. 1580. quam 29. Augusti,
A. 1585. reliquit.

ELISABETHA-
SABINA lucem hausit
12. Mart. An. 1582. cuius
usuram 6. Julij anno 1585
iterum amisit.

CATHARINA
Nicopiæ nata nonis No-
vembribus, anno 1584.
in manum convenit Io-
hanni Casimiro, Comiti
Palatino Bipontino, Du-
ci Bavariæ Iuliæ, Cliviæ,
Bergarum, anno redem-
pti orbis 1615.

LVDOVICVS Suder-
manniæ Dux Heidelbergæ
natus 17. Martij A. 1583. Sed
velut solstitialis herba pau-
liisper fuit, & repente intra
bimestre occidit.

MARIA nata Stochol-
miæ 18 Dec. A. 1588. sequen-
te anno è yivis excessit.

GVSTAVVS Sudermanniaæ
Dux, 12. Junij terras ingressus Anno
1587. quas eodem anno deseruit.

Ex Holsata.

CHRISTINA
nata 26. Novem-
bris

MARIA - ELISABETHA
edita 9. Martij circa noctis meridi-
cma.

Bris, anno Domini
nostrī Salvatoris,
CIC 1596. Nuptum elocata An-
1612. Iohanni Duci Finlandiæ &
Ostrogothiæ, Succiæ Principi hæ-
reditario, Sigismundi Poloniæ
Regis, Fratri. Decessit Lincoiaæ,
Anno Chr. 1619. in cujus templo
avulsit à nutricis
ubere.

em, A. 1596. Nuptum elocata An-
1612. Iohanni Duci Finlandiæ &
Ostrogothiæ, Succiæ Principi hæ-
reditario, Sigismundi Poloniæ
Regis, Fratri. Decessit Lincoiaæ,
Anno Chr. 1619. in cujus templo
Cathedrali tumulum habet.

CAROLVS - PHILIPPVS Dux Suder-
manniæ Nericiæ & Wermelandiæ, felici ortu beavit
Revaliam 23. Aprilis, Anno 1600. Hic à Legatis
Moscoviticis ad capessendas Rutenici Imperij habenas
postulatus, sed paulò post ab infida gente clusus fuit:
licet antea Legati ad Reginæ matris pedes provoluti,
Regem sibi dari non sine ingenti lachrymarum vi &
horribili ejulatu flagitaverint. Anno 1621 post expu-
gnatam Livoniæ metropolim Rigam, Narvæ, in Russiæ
finibus ardenti febre correptus, animam exhalavit, die
25. Ianuarij. Princeps longiore ævo ob eximias vir-
tutes dignissimus.

GUSTAVUS-ADOLPHUS (Augusto
huic Numini Principes, & vos Sospitatori vestro Ger-
mani assurgite) in Regni spem genitus lucem hausit
quinto Id. Novembri, hora septima matutina, Anno
CIC 1617. in Regia Stocholmiensi. Vbi per
statem licuit, ijs artibus imbuendus, quæ Regium
animum exornarent, optimis Præceptoribus à Patre
traditur; apud quos tale tyrocinium posuit, quo erat
ingenij acumine, ut coœvos sibi Principes facile ante-
staret, & doctrina varia & pulcherrimarum exercitatio-

ne facultatum. Vnde factum, ut hactenus eadem manu Musa tractet, quæ sceptrum : quæ tamen alias raro cum Majestate concurrunt. In Defuncti Patris locum successit Anno 1510 XI publica Praeconis voce designatus SUECORUM, GOTHORUM, VANDALORUMQUE REX, MAGNUS DUX FINLANDIÆ, DVX ESTONIAE ET CARELIÆ, DOMINVS INGRIÆ. Anno 1510 XX die 25. Octobr. Virginem illustribus animi, naturæ & corporis dotibus præfulgentem MARIAM ELEONORAM, Johannis Sigismundi Electoris Brandenburgici filiam matrimonio sibi copulavit. Hujus Herois res præclarè gestas memorant historiæ, testatur experientia, loquitur orbis universus : quæ ut omnem laudem, & facundissimos etiam calamos excedunt, ita admirationem pariunt, ubique audiuntur. Præterquam enim quod in masculo hoc pectore Deus hospitium metatus est dignissimum, ut Regiæ Majestatis apicem tam magnanimitate & sapientia, quam decore & corporis dignitate adæquârit : inustam tamen potentiam fidei defendendæ ardore superat. Cujus gloriæ hoc auctarium accedit, quod plures hactenus victorias obtinuit, quam alij legerunt, adeò ut nihil ipsi relictum jam credatur, præter modestum hoc susprium, quod etiam Alexandro suo Fortuna concessit, quo scilicet Homerus revocetur, inventurus hic Gothicum Achillem, qui majus divino carmini argumentum dare, & lassare etiam istius ingenij facundiam possit. Nimirum Princeps hic virtutum omnium concursu, amplitudine meritorum, & rerum admirandis successibus incomparabilis, vicinum

nūm suum Moscoviae domitorem incredibili genero-
sitate invasit , cui Gexholmiæ ditionem totam , unā
cum Ingria armorum jure extorsit , hominesque na-
tura invictos , & sola corporis mole , si abessent arma ,
formidandos subjugavit . Livoniam subegit , & in
ea principem munitissimamque Civitatem Rigam
cum Revalia debellavit . Magnum Lithuaniae Mare-
schallum felici prælio devicit . Borussiam ingressus ,
munitissima loca expugnavit , arces Pucensem Me-
vensemque deditio[n]e cepit . Pilaviensis freti angu-
stias , provinciæ utilissimam clavem , absque sanguine
& sudore occupavit . Poloniæ Regi Brunsbergam ,
Elbingam , Mariæburgum eripuit : cujus ex universa
nobilitate viritim centuriatas copias enervavit . Po-
meraniam , & in ea Straletundiam crudeliter divexa-
tam , ab insolentia & immanitate hostis sui liberavit .
Meckelburgicum Ducatum alieno incubo viætricibus
armis ereptum , dominis suis restituit . Marchiam
Brandenburgicam ab injurijs hostilibus vindicavit ,
cujus munitam Vrbem Francofurtum ad Viadrum ,
ipso Ramalium festo , facta insigni militum strage ex-
pugnavit . Legiones tres , quibus Montis Cuculi Co-
mes , Belgis novissimè feliciter elapsus , Holckius , &
Bernsteinij regulus præfiere , immanni clade & incre-
dibili virtute delevit . In Saxonia , adunatis cum Sere-
nissimo Electore copijs , veteranum bellatorem Tilli-
um memorabili & supra Pragensem nobili pugna , ad
Lipsiam fregit , fudit , profligavit . Thuringiam fer-
tilissimam ditionem metu bellico exemit . E Fran-
conia Episcopum & Ducem suum ejecit . Magnum
illum Rhai Mœniique & Mosellæ tractum , ad Tre-

viros usque & Confluentes, hoste ubique infestius incumbente, brevi temporis intervallo sibi subjicit. Perfracta Danubij Insula, dissipatisque in ea præsidijs, Bavariam, illud spoliorum & manubialis è Bohemia auri receptaculum occupavit: in qua post restitutam suam Augustæ Confessionem, ipsam Principis sedem Monachium, cui par nulla per Germaniam est. ditione cepit. A quo tempore, ubique locorum, hactenùs tot provincias, tot terras urbesque militari manu vindicavit: frustra obnitente Bojorum Princeps Maximiliano: frustra Alberto Fridlandia Duce, omne potentia robur, & tam vasti exercitus molem opponente: qui hoc ipso tempore, cum successu, spe ac fiducia exutum se videat, coloniam mutare, & ne fortunæ suæ supersit, castra, quibus numerosissimum militem circumscriperat, deserere compellitur. Sed nolo hic laudum Panegyricum texere, quas facundiores aliorum calami expriment. Tantam enim gloriam, domi forisque, in Toga & Sago, applaudente orbe terrarum, comparatam ruditus stylus non capit: cui animam linguamque dare, non nisi bonus Scriptor potest. Sanè Achilles ille noster, jam nuper hosti hanc confessionem extorsit, ut Bellatorem toto orbe sine comparatione Maximum, invidendo elogio nuncupaverit. Ego balbutiente voto Deum veneror, ut vivat vigeatque Invictissimus ille Sanguis Gustavianus, & cum eo Succerum fortuna, & Imperij Romani Salus. Vivat & dominetur, diu ac feliciter, Augustissimus Regum, cui Germanie Libertas, à Deo debet, soli, quod spirat, & nondum Clericis servit: quique pulcherrimi voti summam paulatim consequi-

nur,

tur, ut, quod tantopere Octavius flagitabat, publica
voce salutetur, OPTIMI STATVS AVTOR.

M. Filia anonyma vi-
tæ exsors, mundum in-
travit 24. Iunij. CHRISTINA I. nata
24. Octob. A. 1623. sed anno
nondū vertente denata.

CHRISTINA II. felici partu lucem Stochol-
miæ aspexit VI. Id. Decembr. Anno c. 10 100 xxvi.
quæ Divina gratia adhuc sospes & superstes, anno se-
quente in Comitijs Stocholmienibus, Regni Hæres
declarata est : renovato Senatusconsulto, quod fa-
ctum est anno MDCIV. Norcopiae de unione hæ-
reditaria.

A.

JOHANNES III. natus Steckburgi in
Ostrogothia 21. Decembr. Anno Dn. c. 10 100 xxxvii.
Fratri Erico, de potestate mentis deturbato & exautho-
rato, in Sueciæ throno, omnium Ordinum adplausu
successit, & prius è carcere cum conjugè & filio edu-
ctus, salutatus est SUE CORUM, GOTHO-
RUM, VANDALORUMQUE REX, MA-
GNUS PRINCEPS FINLANDIÆ, CA-
RELIÆ, VOTSCHOVIÆ, ET INGRIÆ
RUTENORUM, ESTHONIÆQUE
LIVONUM DUX. Qui mox Erico in vincula
conjecto, alternante fortuna, fraternalm injuriam co-
dem carcere vindicavit. Bellum gessit cum Dano &
Moscho : quorum hoc atrox pariter & diurnum : in
quo Finlandiam occupavit, & classe in Livoniam missa,

H 2 Nat.

Narvam urbem expugnavit, interfectis cæsisque Ru-
tenorum quinque milibus. Secutus est eandem,
quam Gustavus Pater, in Religione doctrinam Augu-
stanam, licet Sigismundum filium à Catharina matre
instructum, Romanos ritus in arcane amplecti per-
misit: ipse tamen nihilominus in receptis à Parente
sacris immutari nihil voluit, & Carolum Finlandiæ
Ducem, fratrem suum, tanquam vadem orthodoxæ
fidei tenacem apud populos suos constituit, nihil in-
hoc negocio novatum iri: quem etiam per Sigismundi
absentiam, Proregis Sueciæ titulo, præesse jussit.
testamento. Obiit 17. Novembr. Anno Salvatoris
unici 1581. Vixit in illius consortio, I. Ca-
tharina Sigismundi I. Jagellonis Poloniæ Regis, ex
Bona Sforzia, Mediolani Duce filia: defuncta 16. Se-
ptembr. Anno 1583, & Vpsaliæ in templo Cathedrali
tumulata, cujus sacelli proximo parieti affixa tabula
in signi pigmentorum venustate adumbrata, sinceram
Reginæ hujus effigiem refert. II. Gunilla, Johan-
nis Axeli Bielckij de Hereseter, Equitis & Ostrogo-
thiæ Gubernatoris filia, ducta 1585. Cujus
Anno 1597. defunctæ cineres conduntur in Cenota-
phij Vpsaliensis hypogeo, juxta maritum. Generum
ex filia naturali habuit Pontium Gardium, egregium
militiæ ducem, ut testatur Thuan. libr. 87.

Ex Secunda.

JOHANNES Finlandiæ & Ostrogothiæ
Dux, & Hæreditarius Sueciæ Princeps, natus Vpsaliæ,

18.

18. April. anno 1519 LXXXIX. Duxit Anno 1612.
Mariam. Elisabetham Caroli Patrui Regis Succiæ Fi-
liam. Obiit improlis Anno 1618.

Ex prima Jagellonide.

ISABELLA nata
Anno 1567. sed in prima
infantia teneritudine
extincta, requiescit in
Cathedrali Stregnesiæ
Ecclesia, apud Suder-
mannos.

ANNA nata 8. Maij An.
1568. dicta Sueciæ Infans;
Vixit in Aula Fratris Sigis-
mundi Poloniæ Regis, &
Strasbergæ Borussorum.
decessit 27. Ianuarij, Anno
MDC XXV..

SIGISMUNDUS Poloniæ Rex, Magnus Dux
Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ,
Kiovitæ, Volhiniæ, Podlachiæ, Livoniæ Princeps,
genitus 20. Iunij A. M D LXVI. Gripsholmiæ. Patre
vivente Poloniæ Scepturn accepit: quo defuncto
Sueciæ quoque gubernacula adiit, certis legum finibus
circumscripta: quos cum non excessisse tantum, sed
perfregisse etiam judicaretur, negarentque palam Sue-
ci sibi jura transmarina è Sarmatia petenda esse: Caro-
lum Patrum ipso absente constituerunt Sueciæ Ad-
ministratorem. Anno autem 1598. cum Sigismundus
è Polonia profectus, numerosum exercitum in
Sueciam effunderet, & terrore copijsque succinctus,
testamentarias Patris tabulas rescindere pararet, intro-
ducto secum Legato Pontificio, & caterva Jesuitarum
religioni Orthodoxæ perniciem molientium, prælio

ad Lincopiam commisso infeliciter, eo redactus est, ut partim pavore conterratus, partim male consulatus, Ericum Sparre Cancellarium, Turonem Bielckium, Gustavum etiam & Stenonem Banneros, qui ejus causa Sueciam deseruerant, Carolo victori tradecret, ob proditionis crimen plectendos: ipse autem pudendo fugae consilio, consensis navibus, quarum aliquæ mari haustæ, ceteræ disiectæ aut quassatæ, ad Gedanum ejiceretur magis, quam exponeretur, combatibus ubique adversam expertus fortunam: cuius inclemensia ei regium etiam Sueciæ Sceptrum postea excusit, exclusa demum sobole omni & posteris, in Comitijs Lincopiæ Anno 1600. celebratis: *Vide Thuan. libr. 121. & Iohannem Skytte in oratione 1. ad Regem Britanniarum.* Diu Poloniæ suæ præfuit, & præclaras aliquot è Marte adoresas, in famæ templo suspendit. Inter quas palmaris habetur, quod Duce Samoilcio, Maximilianum Austriae Archiducem, Sborovianorum factione, contra se Regem Poloniæ electum, ipso statim regni sui primordio, cum Stanislao Comite Gorcanio, Episcopo Kiovensi, Andrea Sborovio, aula Tribuno, & Alexandro Duce Pronscensi, arctissima obsidione cinctum deditumque captivavit: ea tamen moderatione usus, ut nec institutis publicæ letitia specaculis, nec edita gestientis animi significatione, Maximilianum Cracoviam adduci noluerit, ne potius in triumphum, quam custodiam, tantæ dignationis captivus duci videretur: cumque paulò post e vinculis liberum dimiserit. Orbi valedixit hoc anno 1632. Duas successivè Conjuges habuit. Prior fuit Anna Austriaca.

Filia

Filia Caroli Archiducis, Duci Stiriae, Carinthiae & Carniolae, duxta A. 1592. defuncta A. 1598. II. Constantia ejusdem Caroli Archiducis filia, Annae prioris conjugis soror: quam dispensante Paulo V. Pontifice 9. Decembr. An. 1605. domum deduxit, & An. 1631. morte sublatam amisit.

E X A N N A.

ANNA-MARIA
nata Warsaviæ, die 23.
Maij anno 1593. Denata
9. Febr. an. 1600.

CATHARINA nata
Stockholmiæ 9. Maij A. 1594
defuncta post mensē. Tu-
mulata Cracovia.

CATHARINA II.
nata xxvii. Septembris.
Anno cīc 15 LXXXVI.
vivere desijt 2. Iunij an-
no 1597.

CHRISTOPHORUS
ē materno utero vivus ex-
cisus, & 2. Februarij Anno
1598. baptismō tinctus,
mox exspiravit.

ULADISLAUS-SIGISMUNDUS Poloniæ
Princeps, electus Magnus Mœscoviæ Dux, Admini-
strator Ducatum Severinensis & Carnicoviensis, vi-
tam auspicatus est Cracoviæ 6. Id. Iunij anno 1595.
Egregius animi Princeps, præfert in Symbolo Iu-
venem alatum, qui armis succinctus, per obeliscum
ascendere molitur ad duas palmas coronæ inclusas,
eujus vertici imminet Sacro sanctum nomen JESU,
cum hac Epigrapha. VEL SIC ENITAR.

EX

EX CONSTANTIA.

JOHANNES - CA-
SIMIRUS natus Cra-
coviae xxv. Decembris,
anno Dn. 1607. decessit
nondum menstruus.

JOANNES AL-
BERTVS Episcop⁹
Warmiensis , natus
25. Maij, an. redem-
pti Orbis M DC XII.
Warsaviæ.

ALEXANDER-
CAROLVS Polo-
niae Princeps , pridie
Non. Novembris,
anno M DC XIV.
Warsaviæ in lucem
editus.

JOHANNES - CASI-
MIRUS II. Princeps Po-
loniæ , Cracoviae genitus
xxii. Martij anno Christi
M DC IX.

CAROLVS-FERDINAN-
DVS Poloniæ Princeps, Epi-
scopus Vratislaviensis , (cujus
Infulam post Caroli Archidu-
cis avunculi mortem adeptus
est,) & Canonicus Colonien-
sis : natus XIII. Octobr. anno
M DC XIII.

ANNA-CONSTANTIA,
Warsaviæ nata XXVI. Ianuar.
anno CIC XC XVI parùm vi-
talis vitam, eodem anno Chr.
24. Maij, clausit.

ANNA-CATHARINA nata propri-
die Id. April. Anno Christi
M DC XIX.

Ta-



Tabula I.

In qua demonstratur, qua serie Serenissimus Rex GUSTAVUS ADOLFUS, Genus suum à priscis Suecia Regibus repetat.

Suercherus I. Suecorum, Gothorumque Rex, anno Chr. 1151. Tolstadiæ à servo suo trucidatus, cùm somnum caperet. Sepultus in cœnobio Alvastrano, quod ipse apud Ostrogothos fundavit, quemadmodum & Wernheimense apud Westrogothos.

Ex prima

Iohannes ob corruptos
mores velut publici odij vi-
etima à plebe interemptus,
Anno Domini 1148. de quo
vide *Magnum Gothum*, li-
bro 18. *Pontanum in històr.*
Danica libr. 5.

Ex altera Ullvilda Nor-
wægiæ Regina

Carolus Rex, odio propter
amicitiam Danicam flagrans,
à Canuto Erici S. filio in Visin-
giana insula occisus prid. Idus
April. A. 1168. *Messenius in Suec-*
penta protopoli, cap. 13. Sepultus
Alvastræ apud Patrem.

Suercherus II. Rex Sueciæ, vir militiae & facundia clarus,
villam Lœnz memorabili, sed infelici clade in Westrogothis
nobilitavit An. 1208. Biennio post circa Cistelbroum, altero
bello cum suis occisis, occubuit. Conjunx Benedicta Eb-
bonis Sunonis, Satrapæ de Knarentorp filia.

i I Suno

Suno Sijok, Dux Ostrogothia, cui uxor Helena. Sepultus in cœnobio Vretano.

Helena uxor Folchonis Suecorum Gothonumq; Ducis.

Ioannes Suecheri Suecorum Rex Obiit anno Chr. 1222.

Ingridis cognomento Ilfa, consors Magni Minneskiold, Suec. & Goth. Ducis, Ob. 1252. tumulata in Ecclesia Bielboanæ adyto. Admirandæ sapientia Herois, è qua Regum Sueciæ hodierna prolapia descendit.

Benedicta, Alphus Burislevus, ean-

Vxor Suanopolchi E- cum fratre à qui- dè cū Fra- quitis & Le busdam tre forté giferi Ostro Rex pro- subiit. Se gothia, qui clamatus pulti am fuit filii Ca nuti Ducis tur à Ca- bo in Vre Revaliens. nuto. tesi mona- stero.

Ulvilda conjunx Birgeri Philippi, Equitis Aurati & Regni Senatoris.

Ingerdis con- junx Tunonis Sturonis Equi- tis Aurati.

Ingridis cœnobij Vretani Antistita. Catharina ejusdem cœ nobij Sacerdos Maxima

Bono Birgeri Eques Auratus, & Regni Suecia Senator.

Amundus Sturo, Eques Auratus & R. Senator, cui uxor Martha Caroli Nessekonung filia.

Magnus Sturo, Eques & Senator Regni, cui uxor Christina filia Magni Ionæ Equitis.

Iohannes Bononis, Regni Suecia Armiger.

Algottus Sturo, Eques A. & Legifer per Vplandiam, cui uxor Martha Boëtij Equitis Aurati filia.

Amundus Sturo Eques Aur. & Regni Consiliarius, cui uxor Amundi Ionæ Equitis & Regni Senatoris filia, ex Ramburge Israëlis Birgeri.

Bono Iohannis Regni Suecia Armiger.

Christina uxor Castilli Caroli, Regni Suecia Armigeri, qui vixit A. 1330.

Amundus Sturo Eques Aur. & Regni Consiliarius, cui uxor Amundi Ionæ Equitis & Regni Senatoris filia, ex Ramburge Israëlis Birgeri.

Nicolaus Catilli de Bior-
no, Regni supremus Con-
filiarius & Archidapifer,
de quo in Stemmate Gu-
staviano.

Gustavus Sturo, cui uxor Bir-
gitta Stenonis Turonis Equi-
tis Aurati filia. Decessit è vita
Anno post natum Christum.
1444.

Christiernus Steno Stu-
Nicolai de Biorno, re Suecorum
cui uxor Marga - Princeps &
retha Krumedick Guberna-
de Traneker. tor.

Birgitta nupta Io-
hanni Christierni de
Oreby : cuius hic in
dextro latere, series
cernitur.

Iohannes Christierni de Oreby,
cui uxor Birgitta, Gustavi Sturonis
Filia.

Ericus Iohannis de Gripsholm,
Eques Auratus & Regni Confilia-
rius, cui thalami consors Cæcilia
Magni de Ecka, filia.

Gustavus I. Sueciæ Rex. Vxor
Margarerha Erici de Loholm, Equi-
tis Aurati filia.

Caiolus IX. Rex Sueciæ Con-
junx Christina Adolphi Holsatiæ
Ducis Filia.

Gustavus II. Rex Sueciæ.

I 2 Ta-

• • • • •

Tabula II.

*In qua ostenditur, quomodo Potentissimus
Suecorum Rex GUSTAVUS ADOEFLUS à prisca Dania
Regibus sanguinis sua originem
derivet.*

Sueno Estritius Daniæ & Angliæ Rex, Ulphonis Comitis Angliæ ex Margaretha Estrita Canuti Magni Daniæ Regis Sorore filius. Decessit anno Domini 1074. in opido Chersonesi Cimbricæ Slutropio.

Ingertha regi Norvægiae	Gormus.	Biorno.	Olaus Hunger
Olaø Kurre nupta.	Sueno Pater Hærici Scatelleri,	Omун dus.	Daniæ Rex à Canutio Fratre, ad
Vbbo repudiatus regni diadema Nicolao Fratri permisit.	Ayus Haquini, Canuti, & Magni Daniæ Regū ante regni inaugurationem facto præventus A. 1150 moritur.	Benedictus. Edmū	Socerū Robertū in Flandriâ misus carceri includitur. Vxor Ingerda, Haraldi Harderodi, Nor. vvegiæ R. Filia.

Syritha uxor Codescalci Slavorū Principis, martyrij laurea meruit in opido Rathia, ubi à paganis ad necē verberibus adacta	Haraldus Daniæ Rex, fratum natu maximus, Patri successit Anno Domini 1083. Regnandi tempore intra biennium perfunctus decepit.
Canutus Sanctus Daniæ Rex, cui uxor Adela, Roberti Flandriæ Comitis filia. Successit Haraldo Fratri & Ortho-	nix

ēta est: ipso etiam Codescalco ob religionem trucidato. niā trucidatus est. Pater est Ingertx Folchoni Suecorum Duci despōnsatæ: unde profecta est nobilissima Folchungorum prosapia.

Ericus Eigod, sive Bonus, ob morum tractabilitatē, & dotes hoc nomen adeptus, Daniæ Rex Olao fratri in Sueciam secedenti in regno surrogatus. In Cypro è vivis excellit anno 1105. Vxor ei Bothilda Trugothi Ulphonis Galli filia, insigni forma fœmina.

Ingo intra adol escentiæ metas equo dejectus, vitam clausit.

Filiæ duæ in infantia decessere.

Sophia uxor Voldemari I. Daniæ Regis: Canuti non soror germana, ut perperam tabulae Genealogicæ docent, sed uterina, Patre, Voldemaro Rutenorum Principe prognata, ut dicitur scribebit Saxo.

Nicolaus Daniæ Rex post fratrem Ericum, uxorem habuit Margaretam Ingonis Suecorum Regis. Conditor cœnobij Benedictinæ familie in civitate Othonia. A Sutoribus Slesvicensibus, anno Christi 1135. regni vero sui vicesimo octavo una cum stipatoribus interemptus.

Magnus Gothorum Rex, post necem Ragualdi Sueonum etiam regno potitus, Canutum Sanctum Erici Boni filium, Ducem Slesvicensem & Regem Obotritorum, Patrualem suum interemit. Vxor Sophia Boleslai Crivousti Polonorum Regis filia: Vidua Valdemari Principis Rutenorum. Tertijs nuptijs Suerconi, Sueciæ Regi matrimonio juncta.

Canutus Rex Daniæ frater Sophiæ uterinus, ex Patre Magno prognatus, Roschidæ inter ipsa mensa sacra confossum est a Suenone Gratenhede Erici Emundi filio naturali. Vxor filia Suerconis Sueciæ Regis.

Helena nupta Gulielmo
Duci Luneburgico, Hen
rici Leonis filio : autori
Ducum Brun
suicensium &
Lunæburg.

Ingeburgis nupta
Philippo II. Regi
Galliarum. A. 1194
quam repudiata
denuò tamen rece
pit dimissa Maria,
Morgia Ducis filia
ei super inductâ Se
ran. in invent. Gallia.

Walpurgis nupta Bugis
lao Pomeraniæ Duci. Pro
genitrix Pomeraniæ Prin
cipum.

Canutus Rex Danicæ,
Gothicæ & Vandalicæ: uxor
Henrici Leonis Saxonici
Ducis filia : vidua Fride
rici Principis Palatini,
Cunradi Filij.

N. nupta Si
gefrido Thu
ringicæ Prin
cipi.

Christopho
rus, & Nico
laus Hallan
dia Comes.

Valdemarus II. Rex Danicæ, Go
thorum Vandalorumq; , dictus Vi
ctoriosus. Vxores ei tres fuerunt,
1. Maria Ottonis IV. Imp. filia.
2. Margareta Dagmara Bohemæ.
3. Berengaria Lusitanæ.

Richessa conjunx Erici XI. Suecorum Regis, defuncta
anno humanæ salutis 1218.

Ericus XII. Balbus Sueciæ Rex,
ab affine Canuto Folchungo regno
ejectus, idem postea recuperat de
victo & occiso Folchungo: mortali
tatem explevit anno 1250.

Ingelburga nupta Birgero Iarla
Ostrogothorum Principi, viro ma
gnarum virtutum, qui 1249. Rex
Sueciæ creatus titulo abstinuit.

Martha
uxor Ni
colai Six
tonis de
Tofta, vi
ri optimi
& mode
stissimi.
Equitis
Aurati.

Am-

Ambernus Nicolai de Tofta, Archidapifer Regni Sueciæ; Eques Auratus.	
Vlpho Amberne de Tofta, Eques Auratus & Regni Senator.	Nicolaus Amberni, Eques Auratus & Dapifer Regni.
Carolus Vphonis de Tofta, Mare- schallus obiit 1407. Vxor Helena filia Israëlis Birgeri, Legiferi per Vplandiam. Vallenis humatus.	Ingerdis nupta Magno Ni- colai Roo, qui obiit in bel- lo apud Ostenbro A. 1363. quinto Non. Martij.
Margaretha conjunx Stenonis Turonis Eq. Aur. defuncti 1431.	Nicolaus Magni dictus Roo, Eques Auratus & Senator Regni Sueciæ.
Birgitta nupta Gustavo Sturoni Equiti Aurato, de- functo 1425.	Steno Sturo de Crypholm, Senior Suecorum Princeps & Gubernator.
Birgitta uxor Iohannis Christierni de Oreby, Equitis Aurati & Regni Senatoris.	Cæcilia matria- monio copulata Stenoni Haraldi, Equiti Aurato.
Ericus Ioannis de Grypholm, Præses Alandiæ, cui uxor Cæci- lia Magni de Eckæ filia.	Haraldus Stenonis, Eques Au- ratus & Senator Regni. Cui uxor Sigridis Thomæ à Witz, Equitis Aurati filia.
Gustavus I. Rex Suecorum, Go- thorum & Vandalorum, &c.	Cæcilia, consors Eſchilli Isaaci de Winegarn, Equi- tis Aurati.
Carolus IX. Rex Suecorum, Gothor. & Vandalorum, &c.	Cæcilia uxor Erici Iohannis de Gripsholm, Alandiæ Præsidis.
Gustavus-Adolfus, Rex Sueco- rum Gothorum & Vandalorum.	Gustavus I. Rex Suecorum, Gothorum & Vandalorum.

Ta-



Tabula III.

In qua docetur, qua serie Serenissimus Rex Suecia Gustavus-Adolphus ad Sanctam Birgittam, Illustris prosapia originem referat, quam perperam hactenus Tabula Bojorum genealogica, cum Lazio & Scipione Amirato (qui error & Mattheo Radero, exquisita eruditio eius Viro imposuit,) Palatino-Boica domo prognatam esse tradiderunt. Quemadmodum nec tabula Pontificie, quibus ea Cælitum syllabo adscribitur, ex vero Birgeri Suecia Regis Filiam esse perhibent: multò minus Guise alicujus Suecie Principis natam, ut refert idem Mattheus Raderus tomo tertio Bavaria Sanctæ Series, quam damus, historiarum Suecia, & cœnobij Västensensis in Ostrogothia Monumentis firmata est.

Petrus Andreæ, de Finstad.

Birgerus Petri de Finstad, Eques Auratus & Legifer per Uplandiam, de quo ita scribit Iohannes Messenius in Tumbis Heroum Sueciæ & Gothiæ. In choro Vpsalitæ S. Nicolao & S. Catharinæ dedicato Gustavus Saxonix, Engriæ & Westphaliæ Dux, Regis Gustavi ex filia Sophia nepos tumulatus est, prope Cenotaphium illustris viri Birgeri, Petri de Finstad Legiferi per Uplandiam, & Parentis S. Birgittæ, Lepide Lydio venustè cooperatum, cum hac Epigraphe. *Hic sacer nobilis miles, Dominus Birgerus, Petri Filius, Legifer Uplandiarum, & eius uxor Domina Ingeburgis cum filiis eorum, quoniam animæ requiescant in pace.*

Petrus

Petrus Israël Birgeri, Eques Auratus & Legifer Vp-
Birgeri de landia, repudiata Suecia corona Rigam se sub-
Finstad. duxit, ubi retractis à folio ad tumulum cogi-
tationibus decepit. Defuncti corpus in Sue-

Benedi- ciām perductum, & juxta Patris sepulchrum
ctus Birgeri reconditum fuit ab Vxore Ramfride, Filia no-
de Finstad: biliissimi Viri Iohannis Angeli, Sorore Israëlis
quorum Fra I. Episcopi Arosiensis, qui Sigtoniae in Familia
trū nomina Dominicanorum antea Theologiam professus
extant ibi- erat, & Andreæ Vpsaliensis Ecclesie Præpositi.
dem cippo Messenius in Episcopis Arosiensibus, pagina 94. &
insculpta. in Suenopentaprotopoli pag. 52.

S.BRIGITTA fundatrix celeberrimi apud Ostrogothos monasterij Vastenensis: Vxor Vlphonis Gudmari, quo viduata Romam profecta est. ibi qd; die S. Apollinaris A. 1373. decelit, ætatis 70. Ejus ossa in Sueciā translatā sunt, & cœnobio Vastenensi post annū illata. Mater fuīt, juxta Volaterranum, octo libe- rorum, inter quos numerat Messenius Gudmarum. S. Catharinam Eckhardi de Kirn conjugem, & po- stea cœnobij Vastenensis Antistitiat. Birgerum in Ringsthalom defun- etum 1390. Carolum 1398. mortu- um, & Cæciliam. Inter Indigetes relata est ab Urbano VI. Pontifice, annitente Birgero Georgij Archi- episcopo Vpsaliensi.

Helena nu- Rambur-
pta Caro - gis nupta
lo Vlpho - Amundo
nis de Tof- Ionæ, E-
ta, Mare - quiti Au-
schallo Re- rato & Re-
gni & Le- gni Con-
giero Vp- filiario,
landia, viro quæ vixit
cumprimis anno post
eruditio de- 1380 ut
functa: de- refert Eri-
cimo septi- cus Geor-
mo Februa- gis Salm.,
rij, anno à in Arboro
Christo na- Regia.

Margaretha, conjunx Stenonis Turonis, defuncta Anno Christi 1429.

Bir- Christina, conjunx Amundi Sturonis,

K Gu-



Birgitta nupta Gustavo
Sturoni, ut in tabula secunda
antecedente.

Gustavus Sturo cui uxor
Birgitta, Filia Stenonis Tu-
ronis.

Birgita uxor Iohannis Chri-
stierni de Oreby, mortua in puer-
perio anno 1472.

Birgitta uxor Iohannis
Christierni de Oreby.

Ericus de Gripsholm.

Ericus de Gripsholm.

Gustavus I. Rex Sueciæ.

Gustavus I. Rex Sueciæ.

Carolus IX. Rex Sueciæ.

Carolus IX. Rex Sueciæ.

Gustavus-Adolphus
Rex Sueciæ.

Gustavus-Adolphus
Rex Sueciæ.

Ad Potentissimum Suecorum Regem.

*Q*vas cupiit proprias excelsa in Princepe dotes.
In Cyro Xenophon finxit inesse suo.
Si te vidisset, veterum Rex Magne Gothorum,
Diceret effigiem Principis esse sui.
Tam placidæ regnas, tam fortiter arma lacefis,
Pro lege est populis & tua vita tuis.
Non tamen in terris est, à quo discere possis;
Regnandi è cælo, Rex, tua forma venit.

NH.

Numina successus, animos tibi sufficit aether,
 Et cælum nutu militat omne tuo.
 Ad tua se lenes inclinant carbasa venti,
 Nullaque non facilem Stella ministrat opem.
 Velivolasque rates, & castra natantia Ponto
 Neptunus placidas dirigit inter aquas.
 Quacunque insulis, Pietas tibi lilia sternit:
 Ad latum incedit Injustitia atque Fides.
 Progrederis: comitatur ovans Reverentia, vestit
 Gratia; circum humeros dulcis oberrat Amor.
 Lingua Suada, animum Constantia, pectus honorab
 Candor, labra lepor, Regia forma genas.
 Si tibi pugnandum est, vel Marte potentior ipso
 Cogis ad insamem castra inimica fugam;
 Terribilique ferox ita subruis agmina ferro,
 Querceta ut fulmen diruere alta solet.
 Inde per extintos incedis victor acervos,
 Martia fulminea quos struit ira manu.
 Quid memorem? eximiis famosa Heroibus etas
 Non tibi Romulidum protulit ulla parem.
 Gloria penè caret titulis, victoria palmis,
 Fama caret, laudes, quo canat ore, tuas.
 Si renovare Deo placet orbem hunc, Maxime Regum,
 Subjiciet sceptris omnia sceptra tuis.

De inexpectato Regis in Germaniam adventu.

Hærentem extremæ perhibent Echeneida prora
 Immane Oceani siflere navigium.
 In tenui vis tanta latet: fremat æquor & aether,
 Fluctibus hoc tumidum, nubibus ille minax,

Inter utrumque fremant horrendo murmure ventis:
 Hinc remi auxilium, carbasus inde ferant;
 Non tamen aut latum propellent amplius unguem.
 Dum navem in pedicis anchora viva tenet.
 Te, Rex, quem fausti larga indulgentia cœli
 Majorem multis Regibus esse jubet:
 Lojole exiguum Socii dixere Catellum,
 Quem scopuli & cautes & generarit Aqua.
 Contrâ sed validis subnixa potentia fulcris
 Illa Ligistarum visa Molossus erat.
 Nempe ferebaris vasto certare Leoni
 Musculus: aut Luce parva locusta Bovi.
 Sed damus hoc hosti: plenis qui opprobria planis
 Haec tenus in sanctum grandinat usque caput.
 Dumque nequit vires opponere viribus aquas:
 Ostentat lingue fulmina bruta sua.
 Scilicet his animis melior sententia fixa est:
 Qui te STATOR EM dicimus IMPERIT.
 Heu! quot in hanc navem Mavors non impulit Euros?
 Quid non ventorum nostra carina tulit?
 Quis Zephyrus, quis non Notus institit? omnia contrâ
 Stat tamen in medio turbine fixa ratis.
 Naufragia jam legeret tabulas Germania; BALTHES
 Hoc REMORA exitium nô remorata foret.

F I N I S.

XI, A.

XI, A.

